DIOECESANA SYNODVS CORTONENSIS,

Ab Illuſtri ac Reuerendiſs. D. D. IOANNE de Albertis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Cortonenſi, Habita,

Die 14. & 15. Decembris MDLXXXVIII.



F L O R E N T I AE,
Apud Bartholomæum Sermartellium.
M D LXXXIX.

IOANNES DE ALBERTIS FLORENTINVS,

EPISCOPVS CORTONENSIS,

Clero, Populoque Cortonenſi. S.

CVM verba hæc, Paſce oues meas, vt vnicuique perſpicuum eſſe poteſt, ipſe Deus pronunciarit, cumq; Paulus itidem illud, tu verò vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple, ſcriptum reliquerit, tùm diuinis præceptis, tum Apoſtolicis monitis incitamur, vt impigro affectu pro noſtræ Eccleſiæ ſtatu vigilemus, ac ſi quid vnquam inueniatur reprehenſioni obnoxium, aut ab imperitiæ defectu, aut præſumptionis vſurpatione reuocemus: Cum præſertim illud præcipuum munus omnibus Paſtoribus curandum ſit, vt gregem ſibi commiſſum omni diligentia paſcant, atque cuſtodiant, & ad ea, quæ ad animarum ſalutem, ad morum reformationem, ac demum ad Eccleſiæ ſibi ipſis traditæ pacem, ac tranquillita-

tem pertinere videantur, animum potißimum appellant. Itaque nobiscum animo voluntates, fieri nequaquam potuisse, vt officio, à quo nunquam recedendum est, satisfaceremus, nisi post reditum ad Ecclesiam nostram, iamdiu optatum, & huius Diœcesis generalem visitationem hucusque, Deo annuente, peractam, Diœcesanam Synodum, iuxta Tridentini decreti, præscriptum, conuocaremus, & ea omnia, quæ nobis Dei laudem, ac subditorum nostrorum vtilitatem continere viderentur, statueremus, atque decerneremus: præterea Apostolicum illud, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina, memoria recolentes, has constitutiones, seu mandata in medium allata, publicè excutienda curauimus: Quapropter vos rogamus, Cortonenses, vobis in Domino præcipimus, ac pro pastorali nostro officio nobis iniuncto mandamus, vt vnusquisque vestrum hæc nostra decreta audiat, excipiat, & exequatur, atque custodiat. Id autem si pro viribus diligenter feceritis, vt speramus, & optamus, fore confidite, vt & diuinam gratiam vobis concilietis, & nostrum studium ad omnia vestra promptum, atq; paratum habeatis valete. Datum Cortonæ, Cal. Martij. M D LXXXIX.

IN SYNODVM CORTONAE HABITAM,

AB ILLVSTRI AC REVERENDISSIMO Epiſcopo D. Ioanne Albertio Florentino.

Ad Cortonam Patriam.

Vidius Zoppicius Clericorum minimus.

SCIRE gregis numerum, vigilans & nomina paſtor
Debet, & in primis ora videre ſui:
Ad liquidos ducit fontes, ad pabula læta;
Quæritat ipſe vagas, ipſe reducit oues:
Ipſe lauat, mulget, tondet, medicatur & ægris:
A ſtabulis fures ipſe, luposque fugat:
Segregat infectas, compeſcit fuſte petuleas
Sæpè tenet dulci carmine, ſæpè ſono.
Hæc bonus, ò Cortona tuus facit omnia Præſul,
Gratia ſub cuius nomine multa latet;
Gratia nempe latet ſub nomine multa Ioannis,
Atque ſub Alberto candida multa fides,
Virtutum varios addit Florentia flores,
Lætaturque ſacro Maxima Roma patre.
Huius ſancta ſequi debes veſtigiæ, iuſſus
O patria, & faciles, ſi tibi grata quies;
Vtque tibi tantum ſeruet paſtoremque Ducemque,
Optimus orandus, maximus atque Deus.

De ijs, quæ ad fidem tuendam pertinent.

CVM prima, & maxima paſtorum cura in ijs verſari debeat, quæ ad Catholicam fidem, quam ſancta Romana Eccleſia colit, & docet, & ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, integrè, inuiolatèq; conſeruandam pertinent; Hinc nos potiſsimum inchoandum arbitrati ſumus, vt quæ ex eodem ſpiritu eſt fides, eandem vna oris confeſsione profiteamur.

Tridentinis igitur decretis inhærentes, illorumque auctoritate innixi mandamus, vt adepti beneficia Eccleſiaſtica, curam animarum habentia, in manibus noſtris, ſeu vicarij noſtri generalis, conſequuti verò Canonicatus, & dignitates, etiam in capitulo teneantur publicam fidei emittere profeſsionem intra duos menſes, à die pacificæ poſſeſsionis, iuxta formulam à Pio IIII. Pont. Max. pręſcriptam, alioquin fructus ſuos non faciant, nec eis poſſeſsio ſuffragetur; forma verò profeſsionis talis eſt, videlicet.

Ego. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula quę continentur in ſymbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt, Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis; Et incarnatus eſt de Spirituſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, Et reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas; Et aſcendit in cęlum, ſedet ad dexteram patris: Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas; Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum, Et expecto reſurrectionem mortuorum; Et vitam venturi ſęculi, Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdẽ Eccleſię obſeruationes, & cõſtitutiones firmiſsimè admitto, & amplector

Item ſacram ſcripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum admitto, nec eam vnquam, niſi iuxtà vnanimen conſenſum patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè ſacramenta nouę legis, à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto, omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis; atque in Sanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam, ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi, conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs adiuuari, ſimiliter & ſanctos, vna cum Chriſto regnantes, venenerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiter aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe atq; eis debitum honorem, & venerationem adhibendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo ſaluberrimum eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram, agnoſco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cæteram item omnia, à ſacris Canonibus, & ęcumenicis Concilijs, ac pręcipuè à Sacroſancta Tridentina ſynodo tradita, definita, & de-

& declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulq; contraria omnia, atque hereses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, veraciterque teneo, eandem integram, & immaculatam, vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo iuuante) retinere, & confiteri atque á meis subditis, vel ijs, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem. N. spondeo, voueo, ac iuro; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Eandem fidei professionem facere teneantur, & compellantur clerici omnes in qualibet Diçcesana synodo interuenientes, idque initio ipsius synodi, prout in præsenti præstitum est.

Quicunque etiam, publicè, vel priuate, etiam si pædagogi sint, pueros, adolescentes, alios sic cuiusuis sexus, & ętatis quascunque artes literarias, vel alias liberales, etiam si prima grammatices rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo docere intendunt, fidem prædictam in manibus nostris, seu vicarij nostri generalis profiteantur, scituri, quod & ipsorum vita, & mores probati debeant, priusquam ad alios docendos accedant.

Professiò verò, iuxta præscriptam formam semper facienda, notetur per Notarium nostræ Curiæ in libro ad vsum huiusmodi com parato, adhibitis duobus; vel tribus testibus, vnà cum subscriptione ipsius profitentis.

Parochi singulis Dominicis, & alijs diebus festis, vel singuli pueros fidei initia, & rudimenta doceant, vel eos ad Cathedralem Ecclesiam, in qua laudabile hoc officium exercetur, inducant, atque illos ad obedientiam primum Deo, deinde parentibus præstandam erudiant; sciantque rurales parochi, id etiam ad se pertinere; cum teneantur suum populum saltem orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & decem legis præcepta docere, in quo munere diligentèr studeant, vt á rudibus personis benè recitentur, & abusus omnes tollantur. Quod quidem pro maiori populi commodo, & concursu, ante Missę initium, adimplebunt, denunciantes Indulgentias concessas á fœl. recor. Pio. V. & Gregorio XIII.

De

De ſacramentis, & eorum adminiſtratione.

SAcramenta nouæ legis, quæ ex Chriſti latere manarunt, cum ſint certiſsima noſtrę ſalutis inſtrumenta, conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti emundantia, nonnulla breuiter circa ea pręmittere viſum eſt.

Parochi igitur ſacramentorum vim, ac virtutem diligenter populis, etiam vernaculo ſermone explicent ea ratione, quæ ex Cathechiſmo Romano præſcribitur; vt inſtructi, quæ ſanctitas, atque maieſtas illis ſit, maiori puritate, & deuotione ad ea ſuſcipienda præparationem valeant adhibere; qui dum ea miniſtrant, ſemper habitu condecenti, ſuperpelliceo, ſcilicet, ſeu Cotta, ſtolaq; vtantur, ac ceremonias, ritus, & conſuetudines ex more Sanctę Romanę Eccleſiæ ſeruent.

Et cum ſacramenta Eccleſię non ſolum ſine ſymoniæ labe, verùm etiam abſque auaritiæ ſuſpitione præbenda ſint; caueant omnes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigant, aut etiam verbis, vel ſignis directè, vel indirectè petant. Contrafacientes verò, & pęnis contra ſymoniacos a iure communi ſtatutis, & alijs arbitrio noſtro plecti volumus.

Summam quoque adhibeant diligentiam in ægrotis ſuæ parochiæ viſitandis, etiam non accerſiti; & curent, ne quis diem ſuum ſine ijs obeat, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem; negligentes autem grauiſsimas pœnas arbitrio noſtro luant.

Ne laici, & ſæculares homines ſacra tangere poſsint, Rectores omnes cuncta ſacramenta, ac ſacra vaſa ſub fidis clauibus retineant, neque claues alteri, niſi, vrgente neceſsitate, committant, ne ad ijs abutendum præbeant occaſionem; negligenteſque reperti acriter puniantur.

Sacra quot annis olea ab Epiſcopo conſecrata, renouentur ab omnibus, veteraque comburantur, & cineres in ſacrario recondantur; & pro illis ad matricem Eccleſiam ne mittantur, niſi qui fuerint ſacris ordinibus initiati.

De Baptiſmo.

SAcramentum Baptiſmi, quo quidem omnis culpa originalis, & actualis peccati, atque omnis pœna eis debita remittitur, ac cęli ianua aperitur, quò ſalubrius confertur, eò diligentius miniſtrandum erit.

Solis itaque ſacerdotibus competit baptizandi officium; ſed quoniam hoc ſacramentum eſt omnibus neceſſarium; propterea

omnes, vrgente necessitate baptizare possunt, dummodo clericus laico; & vir fœminæ in baptizando præferatur; nisi fortasse fœmina, ob baptizandi consuetudinem aptior sit: Idque in Ecclesia fieri debet, nisi propter imminens periculum, domi aliter fieri contigerit; semper tamen eandem baptizandi formam omnes seruare debent, videlicet. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; neque illi quidquam addatur, vel detrahatur, quæ quidem verba per baptizantem proferantur, dum caput infantis aqua aspergitur, & parochi sæpe populum, ac præcipuè obstetrices ita obseruandum esse moneant; & si nonnullas inuenerint, quæ ita rudes sint, vt in dicta forma nequeant erudiri, eisdem huiusmodi officium pœnitus interdicant.

Et ne baptismus cum salutis periculo differatur, districtim præcipimus ijs, quorum est cura, sub excommunicationis pœna, vt infantulum intra tres dies baptismum in Ecclesia suscipere curent; Quod si domi, propter periculum mortis factum fuerit; nihilominus intra tertium ab ortu diem, vel cumprimum per valetudinem licuerit, infantem in Ecclesia sistant; vbi si rectam baptismi formam seruatam esse constiterit, illi tantum ritus, & ceremoniæ baptismi adhibeantur; neque caput infantis aqua tingatur; sed si dubitetur, an infans sit baptizatus, veluti in exposito plerumque euenit, præmissis ritibus, & ceremonijs, conditionaliter baptizetur, videlicet. *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij*, &c.

Qui baptizandi munere funguntur, diligenter studeant, vt ad tanti officij functionem sanctè, grauiterquè accedant, ipsos quoq; Compatres monentes, vt diligenter, quid agatur attendant, intelligentes Christos filios spiritualiter generari, seque teneri pro suo susceptionis officio, eos Catholica fide, probatisque moribus instituere, si parentes id facere neglexerint, eisdem declarantes, quem gradum cognationis spiritualis contrahant cum baptizato, & baptizati parentibus.

Vnum tantummodo, siue marem, siue fœminam, vel ad summum virum vnicum, & vnicam fœminam simul admittant ad leuandum infantem de sacro fonte; à quo quidem officio repellantur omninò excommunicati, & i li, qui eo anno, Paschę tempore, ex præcepto Ecclesiæ confessi minimè fuerint, neque sacram Eucharistiam sumpserint; necnon qui sacro Chrismate confirmatus non fuerit, quique quatuordecim annos non sit natus; vel qui ita fuerit rudis, vt orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & fidei symbolum ignoret; est enim ab omni ratione alienum, vt qui se Deo fideiussores constituunt, ijs res illas

nesciant,

nesciant, quibus se alios instructuros pollicentur, quod quid e m ad euitandam familiaritatis occasionem, prohibitum quoque intelligatur Regularibus, & Clericis omnibus, qui sacris sint ordinibus initiati, nisi nostra licentia intercesserit.

Fontem Baptismalem habentes, librum apud se retineant, in quo vernacula lingua baptizatorum nomina describant; necnon parentum, compatrum, diem, & annum non solum celebrati baptismi, iuxta receptam scribendi consuetudinem, verum etiam natiuitatis, prout etiam prouinciali synodo pręscriptum fuit.

Quicunque Rector, cui baptizandi facultas competit, fontem habeat baptismalem marmoreum, siue lapideum, collocatum, vbi id commodè fieri poterit, à sinistra ingredientium parte; in quo aqua benedicta clausa semper seruetur; quæ in singulis Ecclesijs baptismalibus renouetur, non solum in sabbatho Sancto, sed etiam in vigilia Pentecostes, vt in Cathedrali Ecclesia fieri consueuit, conuenientibus curatis illis, qui sub eo Pleberio continentur. Cui quidem fonti operimentum construatur ligneum, ad pyramidis formam, tum ornamenti causa, tum etiam ne quis vllo vnquam tempore super fontem ipsum ascendere possit.

Sacrarium propè fontem ipsum construatur, atque aptetur; vnde aqua illa, quæ infantis capiti infunditur, proijciatur, neue in eundem fontem profluat, vt & Reuerendissimi Domini Visitatoris Apostolici decreto prouisum est.

Populus sępè moneatur, ac præsertim matres, atque nutrices, ne infantes in lecto, ante expletum annum ætatis secum retineant, sub excommunicationis pœna, à qua contrafacientes nemo possit absoluere, nisi facultate à nobis obtenta.

Laudabilem puerperarum vsum parochi seruari curent, vt cumprimum domo, post partum, exierit, ad Ecclesiam, Deo gratias acturę accedant, vbi benedictionem à parocho suscipiant.

Et quoniam qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum regenerari non potest, declaramus, nullum baptizandum esse in ventre matris; quod si appareant membra aliqua, ac mortis periculum immineat, ad cautelam baptizari potest.

De confirmationis Sacramento.

CVM Sacramentum confirmationis piè, ac sanctè conferendum sit, veluti & cętera Ecclesiæ sacramenta, curent parochi, vt, qui confirmandi sunt, summa quoque cum reuerentia illud suscipiant; & si doli capaces sint, peccata sua confiteantur, vel

ſaltem verè contritionem illorum habeant, quibus etiam denunciēt in Eccleſia tempus, quo ſacramentum huiuſmodi miniſtrandum erit, & atque illius vim, naturam, & virtutem explicent, eoſque doceant, eandem cognationem ſpiritualem contrahi inter confirmantem, & confirmatum, confirmatique patrem, & matrem, quæ ex baptiſmo oritur, & illam non ad annum tantum (vt vulgo dicunt) ſed ſemper durare; ac propterea carnale matrimonium inter eos impediri, iuxta ſacri Concilij Tridentiini prȩſcriptum.

Parochi omnes populum debitis temporibus præmoneant, quod etiam Concilij Vormatienſis Canone ſancitum eſt, vt quicumque in legitima ætate conſtituti, intra parochię ſuæ fines habitant, neque adhuc confirmati ſunt, hoc ſacramentum ſuſcipiant, ſcituri, quod negligentes illud ſuſcipere, vltioni Eccleſiaſticæ ſubiacebunt.

Sacramentum Confirmationis ijs præberi non debet, qui annis ſeptem minores natu ſunt; ſi tamen Epiſcopus, ob aliquam iuſtam cauſam, etiam minori ſeptennio miniſtrandum eſſe cenſuerit, vetitum ne exiſtimetur, curet tamen parochus hoc caſu, vt parentes, vel alij, ætate procedente, eos illa de re certiores faciant, ne parentibus, curatoribusuè poſteà mortuis, ipſi aliquando dubitent, an hoc ſacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint.

Nullum ad hoc ſacramentum parochi permittant accedere, in aliena Diœceſi oriundum, qui ibidem domicilium non conſtituerit, niſi proprij Epiſcopi conſenſus interceſſerit, quo igitur tempore miniſtratur, populum ea ipſa de re parochus præmoneat.

Liber in qualibet parochia retineatur, in quo confirmatorum, & compatrum nomina deſcribantur eo modo, quo circa baptizatos fieri præſcriptum eſt; ac parochi omnes, quo tempore ſacramentum confirmationis celebrabitur, moneant confirmatorum parentes, alioſuè eorum curam gerentes, vt quamprimum nomina deferant confirmatorum, & compatrum: & curent, vt faſciculę iniunctæ fronti, vna cum bombice comburantur.

Curent etiam parochi, vt tam qui confirmandi ſunt, quàm eorum patrini ſaltem orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & Symbolum norint; & ea omnia in huius ſacramenti adminiſtratione ſeruentur, quæ in libro Pontificali deſcripta ſunt.

Et quoniam hoc ſacramentum ex conſtitutione ſacrorum Canonum, & conſuetudine Sanctæ Romanæ Eccleſiæ quot annis renouari oportet, curent parochi, alijquè clerici omnes, qui in tabella maioris Hebdomadę ad hanc functionem peragendam

deſcripti

descripti fuerint, vt Feria Quinta in Cæna Domini, hora competenti in hac nostra Cathedrali Ecclesia intersint, sub pęnis, & censuris arbitratu nostro infligendis.

De sanctißimo Eucharistiæ Sacramento.

VT venerandum hoc, & saluberrimum Eucharistię Sacramentum à Christi fidelibus frequentius, ac maiori cum reuerentia suscipiatur, parochi omnes quam sæpissime populum hortentur nascentis Ecclesiæ institutis, atque exemplis, vt fideles non solum spirituali affectu, dum audiunt Missam; sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione frequenter, iuxta Tridentini Concilij optatum, communicent; verborum tamen illorum Apostoli memores, *probet autem se ipsum homo, qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*, Illosque propterea instruant, eaque omnia doceant, quæ ad illam diuinam mensam accedentibus eodem Concilio 24. sess. sancita, & Cathechismo Romano explicita sunt.

Omnes doli capaces teneantur, ac debeant, legitimo cessante impedimento, singulis annis, saltem Paschatis tempore, in propria parochia Eucharistiæ sacramentum sumere, iuxtà Innocentij Tertij decretum, in maximo Lateranensi Concilio editum, & dicti Concilij Tridentini pręscriptum, & negligentes nisi moniti, resipiscant. ab ingressu Ecclesiæ viuentes arceantur, ac morientes careant ecclesiastica sepultura, exceptis tamen ijs, qui parochi consilio, sumptionem in aliud tempus distulerint, si verò intra quindecim dies Ecclesię præcepto non paruerint, eosdem infra Missarum solemnia pro excommunicatis, maledictis, & ab Ecclesia Dei pręcisis publicari, & vitari mandamus; qui si per annum (quod absit) in ea cœcitate perseuerare præsumpserint, in eos, tamquàm de hęresi suspectos debitis iuris remedijs procedatur.

Parochi igitur, ad sex dies post octauam Paschæ, eorum nomina scripta ad nos deferant, qui præstituto tempore non communicauerint, expositis etiam causis, quas extrà confessionem cognouerint; alioquin pœnas nostro dent arbitratu.

Sacram Communionem ministrans piè, ac deuotè se gerat; & antequam vnicuique particulam præbeat, verba illa proferat; CORPVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVSTODIAT ANIMAM TVAM IN VITAM AETERNAM, communicaturus verò respondeat, Amen. Quod vt seruetur, populus moneatur, cui quidem postquàm Eucharistiam sumpserit, vinum calice, etiam non consecrato

mini-

minimè prębeatur; sed cyathus cristallinus adhibeatur.

Praeterea sacra Communio numquam in calice, nec frequenti populo in patena, sed pyxide, seu argentea patena, siue aerea, intus, & foris aurata ministretur; neque huius sacrę Communionis occasione eleemosyna peluicula, sacculo, seu bursa exposita, directè, vel indirectè quaeritetur, sub poenis arbitrio nostro infligendis.

Publici concubinarij, foeneratores, coniuges seorsum habitantes absque Ecclesiae iudicio, semel ad poenitentiam admissi, si postea eos in eodem peccatorum luto perseuerare cognitum fuerit, amplius ad sacram Communionem ne recipiantur, nisi postea eos vitam, & mores emendasse parochis exploratum fuerit.

Adolescentes, qui tunc primum Eucharistiam sumere voluerint, parochus ante aliquot dies exâminet, ac de ui, & ratione sacramenti diligenter instruat, illudque masculis seorsum à foeminis ministret.

Sacramentum Eucharistiae conseruetur super altare maius, in tabernaculo pulchro, quod panno serico intrinsecus circumuestitum vndique sit, corporali in fundo stratum, & conopoeo decenti, pro Ecclesiarum facultatibus, ac loci dignitate, coopertum; atque ita aptatum, vt sanctissimum sacramentum commode ex illo extrahi possit, nec propterea super altare ascendere necesse sit; in quo plures particulae conseruentur intra pyxidem argenteam, mundissimo corporali stratam, quę octauo quoque die renouentur ex hostijs non ante viginti dies, ad summum, confectis, neque in dicto tabernaculo quidquam aliud retineatur, nisi sanctissimum Eucharistiae sacramentum.

Lampas coram eo assiduè retineatur, die, nocteque semper ardens, ob tanti sacramenti reuerentiam, & qui negligentes reperti fuerint, pro admissa negligentia, arbitrio nostro mulctentur.

Sanctissimum hoc sacramentum, quo maiori cum reuerentia ad aegrotos deferatur, parochi populum saepè hortentur, vt illud magna cum frequentia prosequantur, & curent, vt in eorum Ecclesijs erigatur societas Corporis Christi, sint quoque superpelliceo, seu cotta, stola, & pluuiali induti, necnon serico velo ornati, pręsertim in Ciuitate, cum luminaribus, & campanula, sub baldachino, absque bireto omnino incedant, & ne eis ad Ecclesiam redeuntibus, populus inane vasculum veneretur, duas particulas deferant in tabernaculo pulchro, velo cooperto, quarum vnam parochus infirmo praebeat, altera verò, cum

ad Ecclesiam redierit, fidelibus comitantibus benedicat, oratione prius Corporis Christi recitata; atque indulgentia, quam ex illo pietatis officio consequuti sunt, pronunciata, centum, scilicet, dierum, ex Pauli III. Summi Pont. priuilegio.

Dum verò parochus sanctissimum sacramentum ad infirmum defert, pias Deo preces, populo etiam audiente, offerre ne omittat.

Quod autem de duabus particulis deferendis supra statuimus, id locum non habeat, vbi propter locorum distantiam, & itineris difficultatem aliter fieri contingat; tunc enim particulam tantum sacerdoti ferre liceat, quam ægrotus percepturus est; quo casu parochus superpelliceo indutus non sit, neque vasculum palam tunc deferatur; luminaria etiam extincta sint.

Caueant autem omnes, ne sanctissimum sacramentum ad reppellendos imbres, serenitatem poscendam, aliudue simile adhibeant, sub pœna suspensionis à diuinis, & alia nostro seu vicarij nostri arbitrio; neque processionaliter deferatur, nisi ad infermos; in solemnitate Corporis Christi, & per eius Octauam; in Dominica cuiuslibet mensis, pro societate Corporis Christi: & pro oratione quadraginta horarum, quæ vt religiose instituta est, ita etiam vt perpetuo seruetur, sanctissimè curandum est; propterea orationis huius curatores videant, vt, sicut nocte fit cum Magistratibus, & Confraternitatibus Ciuitatis, ita etiam die, ciuitatis mulieres distinguantur in classes, quæ eo ordine ad dictam orationem conueniant, & intermissio nulla fiat.

Solemnitas Corporis Christi, quàm sit religiose celebranda, monemur, tum quia tanti sacramenti recolitur institutio, tum etiam tot summorum Pont. Indulgentijs, quibus Ecclesia decoratur; Id vt in vrbe nostra fiat, optamus, propterea in solemni illa processione Sanctissimum Christi Corpus, vt veteris est instituti, & Romanæ matris consuetudinis, pio, religiosoque apparatu, & solemni celebritate feratur.

Sed cum infœlicitas temporis induxerit; vt quæ à maioribus nostris ad augendam Christianam religionem, & populi deuotionem fuerunt inducta, per indeuotos, ad ludos, & vt placeant populo, accommodata sint, ne posthac populus, à pia illa deuotione, ad risum, vt hoc anno, haud sine magna animi nostri perturbatione, vidimus, conuertatur, sed vt tantum sacramentum, eiusque institutionis memoria attentius recolatur, nullus in ea, vel alia quacunque processione, quouis prætextu, repræsentationem aliquam facere audeat, vel præsumat, sub decem aureorum, arbitrijque nostri pœna.

Quo

Quò verò fideles ea in ſolemnitate animam vberiori fructu paſcant, parochi omnes populum ſibi creditum, ſingulis annis, die Dominico ſolemnitatem præcedenti, præmoneant, atque hortentur, vt ſeſe ad feſtum illud vnuſquiſque præparet, peccataque ſua confiteatur. Quod qui fecerit infraſcriptas Indulgentias à Summis Pontificibus, Vrbano Quarto, Clemente Quinto, Martino Quinto, & Eugenio Quarto conceſſas, conſequentur, videlicet.

Ieiunantes pridie ſolemnitatem, Indulgentiam annorum centum.

Præſentes in primis Veſperis, Indulg. annorum centum.

Qui Matutino officio aderunt, totidem annorum.

Qui Miſſam ſolemnem audierint, annorum centum.

Qui ſecundis Veſperis intererunt, annorum etiam centum.

Qui Primę, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij officijs aderunt, Indulgentiam quadraginta annorum pro ſingulis horarum officijs.

Qui verò intra Octauam Veſpertino, Matutinoque officio, & Miſſæ ſolemnis ſacrificio interfuerint, Indulgentiam centum annorum conſequentur.

Hortamur præterea Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Canonicos, & clericos quoſcumque, vt non ſolum in eius ſolemnitatis die, ſed per totam etiam Octauam, Eccleſiam frequentiori numero proſequantur, atque diuina officia ſolemniter celebrent, vt & præter temporales, ſpirituales etiam diſtributiones recipiant, & alios ſui exemplo alliciant.

De pœnitentiæ Sacramento.

CVM ſit ars artium cura animarum, eaque potiſsimum in pœnitentię ſacramento exerceatur, ſummopere curandum eſt, vt ab eis non miniſtretur, qui ad onus hoc ferendum idonei non ſint, ne, ſi cæcus cęcum ducat, ambo in foueam dilabantur, nullus itaque parochialem Eccleſiam non obtinens, etiam ſi Regularis exiſtat, confeſsiones audire præſumat, niſi præuio examine, à nobis, ſeu Vicario noſtro fuerit approbatus, & approbationis teſtimoniales literas obtinuerit, cùm decreto, quod ij omnes, qui alienis curis inſeruientes, approbationis literas non obtinuerint, ab animarum cura eo ipſo tamdiu ſint ſuſpenſi, quouſque ſeſe nobis hac de cauſa pręſentauerint: Contrafacientes verò acriter puniantur, & excommunicationis pœnam incurrant.

Hoc ſacramentum omnibus in Eccleſia miniſtretur, etiam viris, præter-

prӕterquam ӕgrotantibus, nisi ob vrgentem necessitatem, & Confessarij clerici ea in functione superpelliceo, ac stola semper vtantur, alioquin suspensionis pœnam ab huiusmodi officij exequutione arbitrio nostro incurrant, neque stando, sed in sede, tamquàm pro tribunali sedendo, pœnitentium confessiones audiant, & absolutionis formam pronuncient, fœminas verò post occasum, & ante solis ortum ad confessiones non admittant.

Sedes confessionalis in qualibet Ecclesia, vbi confessiones audiendӕ sunt, constituatur, in ea forma, vt tanto iudicio conueniat, in qua tabella inter confitentem, & confessorem interiecta sit, cum craticula, seu lamina perforata, qua audiri, non autem videri possit; & in ea affixӕ sint literӕ lectӕ in Cœna Domini, casus reseruati, & forma absolutionis, a latere verò pęnitentis sacra Imago, in illis autem Ecclesijs, in quibus plures sunt confessores, tot confessionalia, quot confessores, habeantur.

Forma absolutionis à peccatis eadem ab omnibus seruetur, quӕ est infrascripta, videlicet.

Sacerdos postquam dixerit, Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Indulgentiam, &c. Extendens manum (de more) super caput pœnitentis, dicat,

DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS te absoluat, & ego auctoritate ipsius, mihi concessa, absoluo te, in primis à vinculo excommunicationis, quantum possum, & indiges, & eadem auctoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, Amen.

Postea sublata manu à capite confitentis dicat, Passio Domini nostri IESV CHRISTI, & merita Beatę MARIAE semper Virginis, & omnium sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augumentum gratię, & pręmium vitӕ ӕternӕ. Amen.

Et dum sacerdos hӕc dicit, ne moneat pęnitentem, vt orationem Dominicam, Salutationem Angelicam recitet, potius vt attentè salutarem sententiam audiat.

Caueant autem Confessarij, quamuis ad confessiones audiendas admissi, & approbati, ne pœnitentes à casibus, tam Summo Pontifici, quàm nobis reseruatis, temerè, & sinè fructu absoluant, neuè, quarumcumquè literarum Apostolicarum prӕtextu, quibus à peccatis etiam grauioribus, à pęnis itèm, ac censuris absoluendi facultas attributa sit; cum eis dispensent, qui irregularitate irretiti fuerint, nisi id eisdem literis nominatim expressum fuerit.

Casus etiam restitutionis earum rerum, quæ, incertum est, quibus restitui debeant, Nobis deinceps reseruatos esse sciant.

Eos etiam ne absoluant, qui aliàs moniti, aliena, cum possint, restituere, negligunt, neque eos, qui post publicam nostram de indicandis rebus amissis admonitionem, non paruerint, coniuges etiam sine indicio Ecclesiæ disiunctos, quique publicè, & scandalosè peccauerint, ne absoluantur, nisi publicè satisfecerint, cum publicè errantes, publicè corripiendi sint, vt Tridentino quoque Concilio sancitum est: quod Cõfessarij omninò exequantur, etiam si scandalum sibi aliquod, siue periculum desperationis importunè proponatur, eius enim aliqua ratio habenda non est, cum illud sibi ipsi accipiant, nemine illis dante.

Contra concubinarios seuerè procedant, neque eis amplius credant, nisi re ipsa, concubina dimissa, periculum de ijs aliquandiu fecerint.

Confessarij pecuniarias pœnitentias, nisi ex grauissima, aut necessaria causa non imponant, tunc verò ne sibi eam pecuniæ summam, sed locis pijs, in aliquod pietatis opus erogandam, attribui curent, caueant autem omninò, ne huius pecuniæ distribuendæ curam directè, vel indirectè suscipiant; neque aliquid sibi dari procurent, quod si non symoniæ, auaritiæ tamen suspitionem inducat.

Pœnitentes ne arguant, nisi integra eorum audita confessione, tunc enim vinum, & oleum super vulneribus sauciati infundenda sunt, quod, vt exactè, ad Dei gloriam, & animarum salutem confessarij exequi possint, eos omnes monemus, vt Canonum pœnitentialium peritiam habere studeant: quò pœnitentes, scelerum suorum grauitatem agnoscentes, canonum pœnis eis propositis, tantò maiori diligentia in posterum peccata vitent, ac præterita vehementius defleant; quantò in pœnitentijs canonum mitigandis, Ecclesiam benigniorem in se ipsi cognoscunt, atque experiuntur; confessarios propterea hortamur, vt asiduè legant Cathechismum Romanum, sacrorum canonum summas, & Manuale Confessariorum Martini Nouarri.

Salutarem Innocentij Tertij sanctionem, in Lateranensi Concilio editam, exequutioni mandare cupientes, statuimus, vt medici ad ægrotos in lecto iacentes adducti, antequàm illorum curam suscipiant, illos moneant, vt idoneo confessori peccata sua confiteantur, neque eos, quos negligentes inuenerint, post tridui spatium, amplius visitent, sub excommunicationis, aliaquè arbitrij nostri pœna, prout etiam fœl. rec. Pij Quinti constitutione sancitum est.

Cùm

Cum Diui Gregorij teſtimonio, peccatum, quod citò per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere trahit ad aliud; admoneant parochi eorum populum, vt ſæpè velint propria peccata confiteri, & ſi non frequentius, ſaltem diebus ſolemnibus Paſchatis, Pentecoſtes; & Natiuitatis Domini Noſtri, iuxtà Agathenſis Concilij, & Fabiani Summi Pontificis decreta; ſub pœna verò peccati mortalis teneri eos, peccata confiteri ſemel in anno, videlicet in Paſchate Reſurrectionis, quotieſcumquè imminet periculum, vitæ; aggreſſuros periculoſam nauigationem, & quandocumque quis veriſimiliter ſcit, ſe debito tempore non habiturum eſſe copiam ſacerdotis; & ante ſanctiſsimi ſacramenti Euchariſtiæ ſumptionem.

Quod autem ex verbis Auguſtini colligitur, tantam eſſe confeſſionis vim, vt, deficiente ſacerdote, quis confiteatur laico, hoc declaramus intelligendum eſſe non de ſacramentali confeſsione, quę fit virtute clauium, ſed quod per talem confeſsionem magis quis reddatur dignus venia à Domino.

Vſurarum voraginem, quæ animas deuorat, & facultates exhaurit, compeſcere cupientes, confeſſarios omnes monemus, vt ſummam circa eas diligentiam adhibeant; ſciantquè vſuram eſſe, quicquid accedit ſorti, neque licere in animæ iudicio, neque decem, neque ſeptem, neque quinque pro centenario quolibet accipere, cum mutuum dantes nihil inde ſperare debeant, nequè annui cenſus admittantur, niſi concurrentibus requiſitis in conſtitutione fœl. rec. Pij Quinti, incip. Cum onus.

Et cum per auricularem confeſsionem, quæ fit ſacerdoti, quis confiteatur Deo, caueant curati, & Confeſſarij omnes, ne pœnitentium peccata verbo, facto, ſed nec ſigno quidem detegere vnquam audeant, ſub pœnis à ſacris canonibus ſtatutis; idquè etiam de licentia confitentis, niſi pro ingenti aliqua vtilitate.

Et vt ſacerdotibus maiori cum reuerentia, & vberiori fructu tantum ſacramentum miniſtrare contingat, monemus omnes, & in Domino hortamur Confeſſores, vt accedentes ad pœnitentium confeſsiones audiendas, infraſcriptas Deo pręces offerant, eaſque confeſsionali affixas retineant, videlicet.

Verſ. *Cor mundum crea in me Deus.*

Reſp. *Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*

Verſ. *Ne proiicias me à facie tua.*

Reſp. *Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

Verſ. *Redde mihi lętitiam ſalutaris tui.*

Reſp. *Et ſpiritu principali confirma me.*

Verſ. *Docebo iniquos vias tuas.*

Resp. *Et impij ad te conuertentur.*
Vers. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.*
Resp. *Et exultabit lingua mea iustitiam tuam.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Oratio.

Oremus.

DOMINE Deus Omnipotens propitius esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere, qui me indignum, propter tuam magnam misericordiam, ministrum fecisti officij sacerdotalis, & me exiguum, humilemq; mediatorem cōstituisti ad orandum, & intercedendum ad DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus, Ideoque mediator Domine, qui omnes homines vis saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant, suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, ad pœnitentiam venientibus; vt des illis spiritum compunctionis; resipiscant à Diaboli laqueis, quibus astricti tenentur, vt ad te per dignam satisfactionem reuertantur. Per eundem Dominum Nostrum Iesum Christum, &c.

Et quamuis vnusquisque confessarius habere apud se debeat Bullam in Cœna Domini lectam, vt supra sancitum est; non ab re tamen esse duximus, eiusdem Bullę summarium, pro maiori singulorum sacerdotum peritia, vulgari etiam sermone hoc in loco referre, ea tamen conditione, vt si quis casus inciderit, qui dubius sit, & anticipem absoluendi curam afferat, Bullæ ipsius & verba, & sententiam spectari, diligenterquè perpendi oporteat.

Sommario della Bolla in Cœna Domini.

SI scomunicano tutti gl'Heretici, & Scismatici di qualunque nome, & setta, & tutti i loro fautori, ricettatori, & defensori, & quelli, che gli credono, & che senza licenza leggono, tengono nelle loro case, ò stampano libri di Heretici, ouero che in qual si voglia modo, ò causa, publicamente, & occultamente gli difendano.

Tutti i Corsari, & ladri del mare, & i loro ricettatori, & quelli, che sciente-

ſcientemente gli danno aiuto, ò fauore.
Tutti quelli, che nelle loro terre impongono nuoui pedagij, e riſcuotono i prohibiti.
Tutti i falſificatori delle Bolle, lettere, ò ſupplicazioni Apoſtoliche.
Tutti quelli, che conducono caualli, portano arme, ferro, & altri generi di mettallo, ò inſtrumenti da guerra, legname, & altre coſe prohibite, a i Saracini, Turchi, & altri nimici del nome Chriſtiano, Ancora ſi ſcomunicano tutti quelli, che danno auuiſi a gl'Infedeli delle coſe appartenenti allo ſtato della Republica Chriſtiana, & che li danno in qualſiuoglia modo conſiglio.
Tutti quelli che impediſcono, ò aſſaltano le perſone di quelli, che conducono, ò portano vettouaglie à Roma, ò in qualunque modo le ritengono.
Quelli che nella perſona, ò beni offendono quelli, che vanno alla ſede Apoſtolica, ò che da eſſa ſi partono, ò che in eſſa dimorano, ò che gli fanno da altri offendere.
Quelli, che temerariamente mutilano, percuotono, ò altrimenti offendono Cardinali, Patriarchi, Arciueſcoui, ò Veſcoui, & tutti quelli, che comandano che ſi facciano ſimile coſe.
Tutti quelli, che impediſcono il corſo delle cauſe, che pendono nella corte, o uero l'eſſecutione delle lettere Apoſtoliche.
Quelli, che impediſcono la libertà Eccleſiaſtica, riſpetto alle perſone, & beni, & che fanno ſtatuti, ordinazioni, pragmatiche contra eſſa libertà Eccleſiaſtica.
Tutti quelli, che ſenza eſpreſſa licenza di ſua Santità impongono, ò riſcuoteno, ò ſpontaneamente dato pigliano da perſone, & luoghi Eccleſiaſtici, Decime, ouero taglie, ouero chi gli da conſiglio, aiuto, ò conſenſo; & queſta ſcomunica ſi veda diligentemente in eſſa Bolla.
Tutti quelli, che s'intromettono in cauſe capitali, ò criminali contra le perſone Eccleſiaſtiche, ò ſiano Magiſtrati, Senatori, Preſidenti, Auditori, ò qualſiuoglia altro Giudice, Notaio, & eſſecutore, & in queſto non gli vaglia priuilegio alcuno.
Tutti gl'Officiali, & Prelati, che auuocano à ſe le cauſe ſpirituali, che a' giudici Apoſtolici erano commeſſe, & quelli, che impediſcono l'eſſecuzione delle lettere, & mandati Apoſtolici.
Quelli, che offendono nella perſona, & beni, i Peregrini, che per diuozione vanno à Roma.
Quelli, che rapiſcono i beni di coloro, che hanno patito naufragio, ò fortuna nel mare, purche quelli, che hanno patito, ſiano

Chriſtia-

Christiani, & non siano Corsari.

Tutti quelli, che occupano, ò prendono le ragioni, ò Terre della Chiesa Romana.

I Rattori de i beni del Palazzo Apostolico nel tempo della vacazione della Santa Sede, & che essi beni scientemente ritengono.

Tutti quei sacerdoti, i quali temerariamente ardiranno di assoluere quelle persone, che saranno incorse in ciascuno de i casi contenuti in detta Bolla.

De extremæ Vnctionis sacramento.

SAcramentum extremę vnctionis, à Christo institutum, & à beato Iacobo Apostolo promulgatum, in vnaquaque Parochiali Ecclesia haberi debet, illudque in vasculo argenteo, siue stanneo decenter seruari, atque honesto loco, sub fida claue custodiri, & ad infirmos serico sacculo deferri.

Hoc sacramentum, ex Florentini, ac Tridentini Concilij decreto, illis tantùm præbeatur, qui cum vitæ periculo ęgrotant, atq; de eorum salute dubitetur, ne verò ministretur pueris, rationis vsu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, nauigantibus, peregrinantibus, vltimo vitæ supplicio mulctandis, neque impœnitentibus, nisi postea aliquod pœnitentiæ signum ostenderint, senibus autem, etiam non ægrotis, in diem morituris non denegetur.

Cum hoc sacramentum perutile sit, nedum animæ, sed etiam corpori, curent parochi, vt nullus absque illo decedat; qui sicut piè, & sanctè in eius administratione se gerere debent; ita etiam Cotta, & stola induti sint; & qui illud ministrat, idem verba proferat, pro dicti sacramenti forma, neque illa repetat, cum duplicia membra inungit, sed verba sacrę vnctioni bene accommodet.

Sacerdos alteri sacerdoti hoc sacramentum ministraturus, manus exterius inungat, cum interius in sacramento ordinis inunctæ fuerint, mulieribus autem, honestatis causa, renes ne inungat.

Si ęgrotans, postquàm hoc sacramentum sibi ministratum fuerit, sermonis, & sensuum vsum non amiserit, parochus illum consoletur, atque hortetur, vt, abiecto mortis metu, ad cœlestis beatitudinis cogitationem erigat, seque à Deo in æternam requiem vocari gaudeat; & illi pias preces, de more, recitando, presto esse, vsque ad extremum vitæ spiritum, ne omittat.

Et quoniam sæpè contingit, ęgrotum, post huius sacramenti susceptionem,

ſceptionem, conualeſcere, & mox denuò infirmari, propterea declaramus, illud totiès miniſtrari debere, quotiès ægrotus, poſteaquàm valetudinem recuperauerit, in alium morbum recidiuus periclitetur, eadem verò infirmitate non reiteretur, niſi poſt annum.

De ſacramento Ordinis.

QVanta ſit diligentiæ ratio in conferendis ordinibus adhibenda, Tridentino Concilio, accuratè quidem, ſancitum, atquè vſu compertum eſt; cum magna, & ſalutaris populo fideli vtilitas ex eo exiſtat, vt Clerus is ſit, qui & doctrina, & vitæ moribus præluceat; & Eccleſiæ idoneos ſacerdotes, aliosque miniſtros habeat.

Quicunquè igitur, ſiuè primam tonſuram, ſiuè minores, maioreſuè ordines poſthàc ſuſcepturus eſt, teſtimoniales parochi literas nobis, ſeu Vicario noſtro exhibeat, ex legitimo ſe matrimonio natum, aut ob natalium impedimentum, eſſe cum eo diſpenſatum;

Se Diœceſanum eſſe, vel originis, vel beneficij eccleſiaſtici, quod in noſtra Diœceſi obtinet, vel domicilij decennalis, aut alia legitima ratione,

Se ea vitæ diſciplina, moribusquè prędítum eſſe, quibus ordine, quem deſiderat, dignus exiſtimetur, quod iuxtà eiuſdem Tridentini Concilij decretum, pręceptoris etiam teſtimonio doceat.

Et qui ſe prima tonſura initiari petit, ſacro ſe Chriſmate confirmatum eſſe oſtendat, ſeque in Eccleſia frequentius verſari ſolitum; ſe Chriſtianæ doctrinæ operam dediſſe; ſe in clericali diſciplina permanſurum, & vtilem Eccleſiæ Dei fore, ſpem haberi; ſeque illam appetere, non ſecularis iudicij vitandi cauſa; ſed vt fidelem Deo cultum exhibeat, neque ad aliquem minorum ordinum ſuſcipiendum quiſquam, cuiuſcunquè gradus, & conditionis ſit, accedere audeat, qui, præter doctrinam, & alia requiſita, in Cathedrali, vel alia Eccleſia Miſſæ ſacrificio non miniſtrauit; qui verò minores ordines iam adepti ſunt, ad altiorem gradum ſciant, ſe non aſſumendos, niſi prius functiones ſibi præſcriptas obierint.

Ad ſingulos maiores ordines promouendi ſcripto etiam teſtentur, denunciationes in Eccleſia, ex Tridentini Concilij formula, de ſe publicè feſtis diebus factas eſſe inter Miſſarum ſolemnia; ſeq;

in

in illa ætate constitutos, vt annum vigesimumsecundum; si Subdiaconatum, vigesimumtertium, si Diaconatum, vigesimum quintum attingant, si Sacerdotium suscepturi sint.

Regulares autem, qui ad nos pro suscipiendis ordinibus conuenerint, ne ad examen quidem admittantur, nisi, præter commendatitias suorum superiorum literas, authenticum ætatis suæ testimonium exhibeant.

Caueant verò qui sacros ordines suscepturi sunt, ne paruipendentes decretum Concilij, ætatem præscribentis, maximis pœnis irretiātur, si ante legiptimam ætatem sese promouendos esse curauerint, cum Pij Secundi constitutione sancitum sit, vt quicunque id facere prȩsumpserit, à susceptorum ordinum exequutione, ipso iure, sint suspensi, & si suspensione durante, illorum ordinum functiones obierint, statim irregularitatem incurrant.

Sciant autem omnes, nullum in posterùm ad Subdiaconatus ordinem fore admittendum, qui, præter alia requisita, non probauerit, se beneficium ecclesiasticum pacificè possidere, seu patrimonium, quod sibi ad victum sufficiat, verè habeat.

Qui nostræ Ecclesiæ seruitio ascripti sunt, vel posthac ascribentur, ad altiorem gradum ne aspirent, nisi saltem per annum in suscepto ordine eos ministrasse, & quo die ministrarunt, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ex Tridentini Concilij decreto sumpsisse, exploratum fuerit, eosdemque in dicta Ecclesia singulis festis diebus ad Missȩ solemnis sacrificium, & ad Vesperas Cotta indutos assiduè interfuisse, quorum negligentiam Vicarius noster seuerè etiam coerceat, neque alicuius excusationem admittat, nisi studiorum causa absentis.

Volumus præterea, vt semel saltem mense quolibet, se dicto Vicario exhibeant, eiquè vitæ, & disciplinæ suæ rationem vnusquisque reddat.

Et cum sacrorum Canonum dispositione, bigamus à sacrorum ordinum susceptione repellatur, Ambrosij, & Augustini sententiam sequentes, declaramus, bigamum illum quoque existimandum, qui ante baptismum contraxit cum vna, & post baptismum cum altera; neque talem absque dispensatione promouendum.

De sacramento Matrimonij.

SAEpè fit, vt laici homines, quanti sit matrimonium, ignorantes, grauitèr in eo peccent, quod sanctè inire debent, Parochi igitur

igitur omnes populum sibi creditum frequentèr doceant, Matrimonium esse vnum ex septem Ecclesiæ sacramentis, à Christo institutum; atque illud, sicut est sanctum, ità etiàm sanctè tractandum, ac proptèrea contrahentes, prętèr alia, moneant, vt triduò ante illius celebrationem peccata sua confiteantur, & sanctissimam Eucharistiam sumant, curentquè, vt abusus omnes, hoc sacramentum dedecorantes pœnitùs tollantur; atquè nuptiæ ea, qua decet, modestia, & honestate fiant.

Denunciationes, quæ Matrimonium præcedere debent, à parocho, habito priùs contrahentium consensu, fiant inter Missarum solemnia, dùm populus frequentior eò conuenire solet, festis tribus diebus, qui ex Ecclesiæ præcepto, vel huius Diœcesis consuetudine seruari solent; nisi eas aliquando à nobis eiusdem Concilij auctoritate, remitti contigerit, si Matrimonium malitiosè impediri posse constiterit, vel aliquam aliam ob causam, iuxtà decreta Sacræ Congregationis Illustrissimorum D.D. Cardinalium Sacrosancti Concilij Interpretum.

Et si sponsi diuersis in parochijs habitent, denunciationes, iuxtà formam prædictam, fiant tàm in parochia viri, quàm mulieris, nequè parochus Matrimonium antè celebret, quàm id factum in altera parochia, nullumquè impedimentum repertum fuisse scripto sibi constiterit.

Mensibus duobus elapsis, post factas denunciationes, parochus Matrimonium illud ne celebret, nisi denunciationibus denuò factis, cum aliquod longiori tempore impedimentum detegi plerumquè posſit.

Matrimonium, quod in Ecclesia celebrari; Tridentino Concilio sancitum est, in parochia mulieris celebretur, nisi ex vrgenti aliqua causa, secùs aliquàndo à nobis permitti oportuerit, Nequè in oratorijs, seu alia Ecclesia illud quisquam celebrare audeat, sub pœna suspensionis à diuinis, arbitratu nostro.

Parochi Missam pro sponsis benedicendis, post meridiem nullo modo celebrent; nequè moram ipsorum amplius expectent; sed celebrationem in sequentem diem, hora competenti differant, vt huiusmodi abusus omninò tollantur; inobedientes autèm pœnæ suspensionis à diuinis subiaceant, & alias arbitratu nostro luant.

Ad tollendas vagorum, & improborum hominum fraudes, & scandala, quæ ex eorum sceleribus oriri solent, sacri Concilij Tridentini decreto satisfacere cupientes, sancimus, ne parochi vllo modo audeant homines alienæ Diœcesis, etiam huic nostræ adhærentis, in matrimonium iungere, nobis inconsultis, & nisi

post authenticum sui ordinarij nobis exhibitum testimonium, denunciationes factas fuisse, nullumuè impedimentum obstare, licentiam in scriptis à nobis, seu Vicario nostro obtinuerint; quam penis se ipsi parochi diligenter custodiant, contrafacientes autem, vt in eo, quo deliquerint, puniantur, à curæ officio, ipso facto sint suspensi.

Et cum matrimonia clandestina inualida esse, eodem Tridentino Concilio sancitum sit, frequentèr parochi moneant puellas, vt cautæ sint, neuè se falli sinant, atque etiam illarum parentes, vt nulli, nisi seruata forma Concilij nuptui collocent, ac ne sponsos, ante benedictionem simul cohabitare patiantur; sub pœna excommunicationis, & alia arbitratu nostro.

Librum quilibet parochus habeat, in quo diligentèr describat con iugum, & testium nomina, nec non diem, & locum contracti matrimonij, mentionem quoque faciant, si qua denunciatio per nos remissa fuerit. Quem quidem librum apud se retineat, vt eodem Tridentino Concilio præscriptum est.

Omnes autem sciant, nuptias, & earum solemnes benedictiones, dicti Concilij decreto, prohibitæ esse à Dominica prima Aduentus inclusiuè, vsque ad diem Epiphaniæ itidem inclusiuè, & à Feria quarta Cinerum vsque ad totam Paschatis octauam inclusiuè.

De celebratione Missarum.

CVpientes, Missæ sacrificium, omnium quidem sanctissimum, in qua ea Deo patri placens hostia, IESVS CHRISTVS OFFERTVR, singulari pietate, ac religione, & à sacerdotibus celebrari, & à fideli populo coli, hęc ad Dei gloriam, animarumquè salutem, statuenda esse existimauimus.

Sacerdos, antequàm celebret, propriam conscientiam ita, pręuia confessione purgare studeat, vt ad altare in peccato mortali nullo pacto accedat, nisi forte necessitate vrgente, celebrare sibi contingat, vbi confessor desit, quo casu, ex Tridentini Con cilij præscripto, confiteri quamprimùm debet.

Et qui celebraturi, maiori reuerentia, & puritate interiori, exterioriquè deuotione sanctissimum Missæ sacrificium peragant, sese prius colligant, & orantes, mentem in tanti ministerij cogitatione defigant; quod vt facilius effici possit, in singulis sacristijs oratorium aliquod, ad hunc sacerdotum orandi, & meditandi modum construatur.

Antequam ad altare se conferant, Missam perlegant, & singulas eius partes ita componant, vt, dum celebrant, neque errent, neque hęsitent, indulgentiam quadraginta dierum, ex decreto etiam prouincialis synodi, consequuturi.

Sacris vestibus induti neminem alloquantur, neque loquentibus aures præbeant, sed ab omnibus, quibus distrahi possent, mentem, oculosque auertant.

E Sacristia sic induti ne exeant, nisi ituri ad altare, contrafacientes autem, pro qualibet vice, si Canonici fuerint, solidorum viginti, si Capellani, decem solidorum pœna mulctentur: quam pœnam incurrat is etiam, qui ad altare absque bireto incedit.

Sacerdos, dum celebrat, sit aperto capite, neque biretum, sudariolum, seu quid aliud simile super altare ponat.

Sacerdotem ad altare euntem præcedat minister, qui, si fieri potest; sit clericus, & omninò Cotta indutus; Missale, luminaria, aliaque necessaria ferat, ne aliàs, re aliqua deficiente, mora fiat sacrificio, Is, dum Missa peragitur, ne vagetur per Ecclesiam, neque candelas vendat, sed modestè, vti debet, sacerdoti assistens inseruiat, in eleuatione sanctissimi Corporis Christi populum moneat tintinnabulo, seu campanula, neque candelas extinguat, aut aliquid amoueat, nisi absoluto Euangelio, quod post benedictionem dicitur, neuè sacerdotem ad sacristiam redeuntem deserat.

Ante auroram, excepta nocte Sancta Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, & post meridiem, ex constitutione Pij Quinti, nullus sacerdos Missę sacrificium offerat, neque antequam matutinum saltèm, & laudes recitauerit.

Ceremonias à Romana Ecclesia institutas in Missæ sacrificio seruet ad vnguem, nihilquè addat, vel minuat, atquè ad Missę celebrationem nullus admittatur, nisi priùs ceremonias optimè scire repertus fuerit, & ne circumstantes offendat, caueat omninò ab omni indecoro, & absurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu; atquè in Hostię eleuatione, illam non suprà caput, sed suprà corporale eodem loco, vnde sumpsit, extollat, neque illam vllo modo populo deflectat.

Ad euitandum erroris casum, qui in omni Missæ parte grauis, in Canone grauior, in Consecratione verò grauissimus est, nullus Missam memoriter dicat, sed eam totam distinctè legat, & in celerius, quàm par est, celebrantes grauiter animaduertatur.

Ornamenta, & instrumenta Missę sacrificio necessaria, pura, & munda sint, corporalia præsertim, & purificatoria, & ideo album vinum, si fieri posit, adhibeatur, qui verò negligentes re-

perti fuerint, suspensionis à diuinis pœnæ subiaceant.

Nullus verò sacerdos vestes pro Missæ sacrificio offerendo assumat, nisi talari veste indutus sit, contrafacientes arbitrio nostro mulctentur.

Missam in priuatis ædibus, vt Tridentino quoquè Concilio sancitum est, nullus sacerdos celebrare præsumat; sed tantùm in Ecclesia, & Oratorijs, quæ diuino tantummodò cultui dicata, & à nobis visitata, & approbata sint, sub pœna suspensionis ab altaris ministerio per sex menses.

Missa conuentualis in Cathedrali Ecclesia numquàm omittatur; etiam si exequiæ, vel aliæ functiones fiant.

Tridentini Concilij auctoritate prohibemus, nè quid in nouis Missis petatur, exigatur, aut oblatum accipiatur, sub pœna suspensionis à diuinis arbitratu nostro.

Ad tollendam omnem auaritiæ suspitionem, populi scandalum, ac celebrantium perturbationem, statuimus, ne postesum tàm in Cathedrali, quàm in alijs, etiam Monialium Ecclesijs, dùm diuina peraguntur, eleemosyna aliqua distribuatur, nisi Missa finita, sub pęna excommunicationis, nedùm clericis, sed etiam laicis.

Dum Missa cantatur in Cathedrali, in alijs Ecclesijs, in quibus Canonici, ob alicuius festi, vel exequiarum rationem, interuenire debent, eo tempore ne cantetur, contrafacientes verò, tàm celebrantes, quàm quorùm in Ecclesijs celebratum fuerit, pœnam arbitratu nostro luant.

Omnes in sacerdotali ordine constituti Dominicis saltem diebus, & festis solemnibus, iuxta Tridentini Concilij decretum, Missam celebrent; frequentius verò qui parochiales ecclesias obtinent, negligentes sciant, se Deo, nobisquè rationem reddituros.

Parochi frequentèr populum moneant, vt sicùt ipsi tenentur singulis festis diebus celebrare, ita etiam omnes doli capaces, sub mortalis peccati pœna debent Missam eisdem diebus audire, & propterea quilibet, legitimè non impeditus, Missam ijs diebus audiat, idquè in propria parochia, vbi commodè fieri potest, vt qui Missam audiunt, non in foribus, sed intrà Ecclesiam subsistant, idquè sint genuflexi, nisi cùm Euangelium dicitur; semper etiam aperto capite, & ne ita ad altare accedant, vt indecorum sit, & sacerdos perturbetur.

Dum Missæ, aliaquè diuina officia celebrantur, curent omnes ecclesiarum, etiam Regularium Pręfecti, ne pauperes, & alij eleemosynarum quæstores per easdem Ecclesias eant; sed illos ad

valuas

valuas Ecclesiarum stare iubeant, negligentes autèm pœna ex Pij Quinti constitutione inflicta corripiantur.

Eorum saluti consulere cupientes, qui Cappellas, altaria, aliaq; ecclesiastica beneficia in titulum obtinent, quibus Missarum munus aliquod incumbit, neque persoluitur, contra piorum testatorum voluntates, & in grauissimum ipsorum Rectorum præiudicium, Decernimus, vt quicumque in posterum, propriç salutis immemor, fructus tantùmmodo temerè percipere præsumpserit, nec iniunctum sibi onus, etiam irrequisitus, persoluerit, fructus prò rata temporis, quo negligens fuerit, ipso facto amittat, & priuatus existat, qui sequestro, vel alio quouis modo exigantur, & in ornatum ipsorum altarium, & beneficiorum erogentur; quam pœnam incurrant etiam, qui in Cathedrali Ecclesia Capellanias habentes, prçscriptam pecuniam pro conductis Capellanis debitis temporibus non soluerint.

Quod si quis proprium Capellanum conduxerint, per quem iniunctum sibi onus persolui debeat, Capellani negligentia eis non imputetur, si is negligens quandoquè fuerit, quo casu debeat ille, cuius in Ecclesia debitum munus persolutum non fuerit, singulis mensibus ad nos, etiam scripto, significare vniuscuiusque negligentiam, vt quo opus fuerit remedio opportuno prouideamus, in quo si Rectores, sacristæ, vel Capellani negligentes fuerint, præter pecuniam, quæ satis sit ad eleemosynam sacerdotibus totidèm Missas celebraturis, alias quoquè pœnas arbitratu nostro incurrant.

Statuimus insuper, vt qui in Cathedrali, vel alia Ecclesia munus impositum habent, Missç incertis diebus celebrandæ, nobis intra mensem significare debeant, vt re cum eis tractata, certos vnicuique dies, pro maiori Ecclesiarum vtilitate, & commoditatç præscribamus.

Sacerdos, qui in Cathedrali, vel alia ecclesia tenetur celebrare, ad celebrandum in alia Ecclesia ne accedat, nisi sacerdotem in locum suum substituerit, qui id præstet, quod ipse in eadem Ecclesia debet; alioquin mulctetur in duplum eleemosynæ eo die dari solitæ, & aliter arbitratu nostro.

Qui publicè, & notitiç criminosi fuerint, à Missæ celebratione arceantur, ad cuius ministerium non restituantur, nisi vitam emendauerint.

Iis etiam celebrare non liceat, qui ex aliena Diœcesi oriundi, & incogniti, facultatem à nobis obtentam non exhibuerint; quam nullus à nobis obtinere prçsumat, nisi prius testimoniales sui ordinarij literas duobus tantum mensibus ante sibi concessas

osten-

ostenderint.

Et quoniam maioribus, ijs præsertim, qui Primatum tenent, reuerentia est exhibenda, antiquorum canonum vestigijs inhærentes, prohibemus, ne sacerdos quicunque in altari celebret illa die, in quo eadem die Episcopus Missę sacrificium obtulit, nisi ab eo impetrata priùs facultate.

Cum verò ceremonias, & ea omnia, quæ Missalis noui Rubricis statuta sunt, seruari oporteat, curent celebrantes, vt in sumptione Corporis, & Sanguinis Domini, se ipsos, non autem altare, seu Corporale signent.

De Ecclesiis, earumquè cultu.

CVM domum Dei, quæ templum est orationis, & pacis, sanctitudo deceat, curandum est, iuxtà Gregorij Decimi constitutionem, in Lugdunensi Concilio editam, vt in ea nihil profanum, nihiluè, quod sancto loco non conueniat, non modo genum, nihiluè, quod sancto loco non conueniat, non modo geratur, sed nè cogitetur quidem, ne vbi peccatorum est venia impetranda, ibi peccatorum detur occasio, ac deprehendantur peccata committi.

Nemo igitur, cum præsertim diuina celebrantur officia, & verbum Dei prædicatur, audeat in Ecclesijs deambulare, nugari, circulos habere, negocijs operam dare, Altaribus, Fontibus Baptismalibus adhærere, irreuerenter in Ecclesia versari, aut quouis modo diuina officia perturbare, contrafacientes verò Ecclesiarum Præfecti seuerè arguant. inobedientesquè nobis denuncient.

Nullus propè Ecclesias quidquam, præter sacrificio necessaria, vendat, aut venale proponat, sub pœna vnius aurei, pro quolibet, & qualibet vice, abusumque proptereà fictilia vasa, aliaq; vendendi in gradibus ante ianuam Ecclesię Sancti Andreæ in Platea existentis, vel alio dictæ Ecclesiæ adhærenti loco, sub eadem pœna omninò interdicimus.

Scandalis viam præcludere cupientes, statuimus, vt sub noctis horam Ecclesiarum fores claudantur, neminique ante auroram aperiantur, nisi sacra Nocte Natalis Christi Redemptoris, dùm diuina officia, & Missa celebrantur, sacra verò Concio Passionis nocte nõ habeatur, sed opportuno tẽpore à nobis præscribendo.

Intra Ecclesias numquàm bibatur, aut comedatur; atque abusus Confraternitatum in die Cenæ Domini, ex decreto etiam Reuerendissimi Domini Visitatoris Apostolici, omninò tollatur,

sub

ſub pœna excommunicationis.

Eleemoſynarum quæſtores nullo modo per Eccleſias vagari, ſed extrà ianuam conſiſtere permittantur, ſub eadem pœna, quæ ſuperiùs, de celebratione Miſſarum, expreſſa eſt.

Eccleſiarum, Oratoriorum, & Altarium Rectores, quicunque ſint, munus ſuum adimpleant in illis reſtaurandis, ijs omnibus innouandis, quę per Reuerendiſsimum Dominum Viſitatorem Apoſtolicum, decreta fuerunt, intrà terminum, tàm in eius, quàm in noſtra viſitatione præſcriptum, ſub pœna amiſsionis fructuum.

Ante ianuam cuiuslibet Eccleſiæ Baptiſmalis veſtibulum pro Eccleſię qualitate omninò ædificetur, quod in Baptiſmi adminiſtratione perneceſſarium eſſe exiſtimauimus.

Eccleſiarum feneſtrę ita aptentur, vt per eas nemini pateat ingreſſus; vitro tamen, ſeù tela pœnitus muniantur.

Ne Eccleſiæ ſitu, puluere, aut alio ſqualore obſordeſcant, pręcipimus, vt earum pauimentum octauo quoque die diligenter vertatur; Quamobrem in Cathedrali Eccleſia aliquis certa mercede conducatur, qui id omninò adimpleat, adiuuantibus eum clericis, iuxtà modum à ſacriſtiæ Camerarijs præſcribendum.

In earum cæmeterijs Crux lignea, lapidea, ſeu ferrea affigatur; nequè in eiſdem lignorum, lapidumuè ſtrues fiat, aut quidquam aliud, loci illius nitori, ſanctitatique repugnans; quod multo magis interdictum intelligatur in ipſis eccleſijs; alioquin contrafacientes noſtro mulctentur arbitratu.

Quæ defunctorum corpora in cœmeterijs non ſepeliuntur, intra eccleſiam ſepeliantur, in ſepulchris tamen ſubterraneis, quę ne vllo vnquàm tempore fœteant, duplici integumento operiantur; neque Eccleſię humus effodiatur, prò mortuis includendis, ſub pœna excommunicationis, tàm ipſis effodientibus, quàm etiam Eccleſiarum Præfectis, id permittentibus, aut ad nos referre omittentibus.

Altaria, in vijs, nec non in Capellis exiſtentia, vbi Miſſæ ſacrificium non celebratur, omninò tollantur; & parochi, quorum in parochia ſunt; huius decreti exequutionem quamprimùm procurent.

De Feſtorum dierum cultu.

CVM eæ ſint morum corruptelæ, is deprauatus vſus, ab omni, & diuina, & humana lege alienus, & Deo dicati dies, ſanctiſq; officijs

FEBRVARIVS.

Purificatio Beatiſsimæ Mariæ Virginis, die 2.
Beatæ Margaritæ, die 22.
S. Matthiæ Apoſtoli, die 24.

MARTIVS.

Annunciatio Beatiſsimæ Mariæ Virginis, die 25.

APRILIS.

S. Marci Euangeliſtæ, die 25.

MAIVS.

SS. Iacobi, & Philippi Apoſtolorum, calendis.
Inuentio Sanctæ Crucis, die 3.

IVNIVS.

Beati Guidonis Confeſ. die 12.
Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ, die 24.
SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, die 29.

IVLIVS.

S. Iacobi Apoſtoli, die 25.

AVGVSTVS.

S. Laurentij mart. die 10.
Aſſumptio Glorioſiſsimæ Virginis Mariæ, die 15.
S. Bartholomęi Apoſtoli, die 24.

SEPTEMBER.

Natiuitatis Beatiſsimę Mariæ Virginis, die 8.
S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, die 21.
S. Michaelis Archangeli, die 29.

OCTOBER.

SS. Simonis, & Iudę Apoſtolorum, die 28.

NOVEMBER.

Solemnitas omnium Sanctorum, calendis.
S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, die 11.
S. Andreæ Apoſtoli, die 30.

DECEMBER.

Conceptio Glorioſiſsimæ Virginis Mariæ, die 8.
S. Thomæ Apoſtoli, die 21.

Natiuitas Domini Nostri Iesu Christi, die 25.
S. Stephani Prothomartyris, die 26.
S. Ioannis Apostoli, & Euangelistę, die 27.
SS. Innocentum, die 28.
S. Syluestri Papæ, die 31.

Solemnitates, & festa mobilia.

PAscha Resurrectionis Domini cum duobus diebus proximè sequentibus,
Ascensio Domini Nostri Iesu Christi.
Pentecostes cum duobus diebus proximè sequentibus.
Solemnitas Sanctissimi Corporis Christi.
Omnes singuliquè dies Dominici.
Vigiliæ verò, seu ieiunia, quæ ex præcepto Sanctæ matris Ecclesię seruari debent, sunt infrascripta, videlicet.
Vigilia Natiuitatis Domini.
Vigilia Pentecostes.
Vigilia assumptionis Beatissimę Virginis Mariæ.
Vigilia Sanctorum singulorum Apostolorum, prætèr quàm Sanctorum Ioannis Euangelistæ, & Philippi, ac Iacobi Apostolorum.
Vigilia Festi omnium Sanctorum.
Vigilia Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ.
Vigilia Sancti Laurentij Martyris.
Ieiunium singulis diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis.
Ieiunium quatuor anni temporum.
Ad tollendam omnem ambiguitatem, quoad festum Sancti Vincentij, statuimus, vt cum dictus Sanctus sit, & noster, & Cleri nostri Patronus, de ipso non modo fiat duplex officium, sed per octauam quoquè ab omnibus solemni ritu celebretur, qui ditioni nostræ subditi sunt; Dedicationis autem solemnitas in eius tantum Ecclesia peragatur.

De Ecclesia Cathedrali, Capitulo, & Canonicis.

CVM Ecclesia Cathedralis aliarum sit mater, & magistra, atq; omnes in eam oculos conijciant; summopere curandum est, vt vnde documenta omnis optimæ institutionis, & normæ summi opo rtet,

oportet, ibi nihil appareat, quod & loci ſanctitati, & perſonarum grauitati non conueniat. Quapropter noſtra Cathedralis Eccleſia, tàm in ſacramentorum adminiſtratione, diuinorum officiorum functione, & ceremoniarum obſeruantia, quàm in eius nitore, in ornamentis, ac paramentis, alijſquè pro augumento diuini cultus, neceſſarijs, & opportunis, cæteris Diœceſis noſtræ omninò præſtet.

Qui dignitates, & Canonicatus obtinent, ac in poſterùm obtinebunt, cæteriquè omnes, qui dictæ Eccleſiæ inſeruire debent, habitu tempore congruenti, ſuper talari veſte aſſumpto, è Sacriſtia in Chorum ſe conferant, & vbi ſe ad altare humilitèr inclinauerint, vnuſquiſquè proprium in Choro locum adeat.

Dato per Hebdomadarium ſigno, pro diuino officio inchoando, omnes aperto capite ſurgant, & Canonicas horas alternis vocibus diſtinctè canant, recitent, atque attentè audiant.

Cum verò pro temporis, & officij ratione, ex inſtituto, & more Eccleſię; ſurgendum eſt, genuflectendum, vel quid aliud faciendum, omnes æquè idem ſemper faciant; ſed pręcipuè, cum Euangelium, Orationes, aliaquè Miſſę grauiora dicuntur, Negligentesq; ab Eccleſia, vbi & Deum offendere, & populo ſcandalum inferre non erubeſcunt, quandiù nobis videbitur, arceatur.

Qui ſine habitu condecenti, & bireto (quo omnes in Eccleſia vti volumus, non autem pileo) chorum introierit, perindè habeatur, ac ſi non adeſſet, creſcenteque contumacia, grauius etiam, quàm per Capituli conſtitutiones ſancitum fuerit, arbitratu noſtro mulctetur; ſi quis autem aeris iniuriam timet, vtatur ſubbireto, nigri tamen coloris, Nequè alicui, ſiuè Canonico, ſiuè Cappellano liceat chorum eo habitu, quo celebraturus eſt, ſub quouis prętextu, intrare; cum ei nè egredi quidem è Sacriſtia permiſſum ſit, vt ſuperiùs ſancitum eſt; alioquin præter prædictam, ſuſpenſionis à Diuinis pœnam etiam ipſo facto incurrat.

Colloquutiones, locorum mutationes, aliaquè eorum officium dehoneſtantia, omninò effugiant; & inde numquàm diſcedant, niſi diuinis completis officijs, ſub pœna, ne dum in dictis conſtitutionibus contenta, ſed alia etiam, pro modo culpæ declaranda.

Caueant autèm à rixis omni loco, & tempore: ſi quis verò (quod abſit) proprię ſalutis immemor, ſanctum locum, facto, aut etiam verbis iniurioſis offenderit, vt in eo, quo deliquerit, puniatur, ſex menſium ſpatio chori ingreſſu ſit interdictus, aliaquè grauiori pœna afficiatur.

Et cum à Sacristiæ loco, vbi sacerdotes, & ministri Dei piè, ac sanctè meditari debent, non solum tumultus abesse oporteat, verum etiam vaniloquia, & ea omnia, quę & Deum offendere, & orantes perturbare possunt, mandamus, ne posthàc Canonici, vel alij quicumque in Sacristia quidquam tractare, aut immodestè loqui audeant; sed vt omnes ibi silentium seruent, ac si in ipsa Ecclesia essent; contrafacientes verò per suspensionem à diuinis, & aliam pro culpæ modo pœnam, corripiantur.

Canonicorum classes in melius reformare cupientes, statuimus, vt posthac non eo ordine Canonici interueniant, sicut antea factum fuit; sed quælibet clasſis, tam ex veteranis, quàm ex recentioribus constet; id quod non sine aliqua Ecclesiæ nostrę vtilitate futurum speramus.

Diuina officia, iuxtà Tridentini Concilij decretum, per seipsos, & non per substitutos obire debeant; Quod quidem procedere declaramus, non solum in choro, sed etiam in Missa, per eos, iuxtà ipsorum constitutiones, decantanda; quam omnes cantare astrictos esse decernimus; ijs tantum exceptis, qui non sua culpa, sed infirmitate, vel ętate, ad hoc munus obeundum sunt inhabiles; quibus liceat, inhabilitate durante, aliquem ex Canonicis substituere, qui eius muneri satisfaciat; Cæteri verò, qui in huiusmodi officio defecerint, pro qualibet vice, in lib. vnam, solidorum viginti, cæteris onera sustinentibus applicandam mulctentur, neque aliorum gaudeant priuilegio, in festiuitatibus Sanctisſimi Corporis Christi, Sancti Antonij, Beatę Margaritæ, cęterisquè omnibus, etiam defunctorum exequijs, & anniuersarijs, tàm in eadem Ecclesia, quàm in alijs quibuscumq; celebrandis; à quibus supradictos excludimus, & ut locus sit in ordine successori, decernimus, & mandamus.

Canonici sacræ concioni habitu condecenti induti intersint; qui verò defecerint; etiam si in choro fuerint, perinde mulctentur, ac si non adessent; atque abusus ibidem interueniendi absque habitu, omninò tollatur, etiam quò ad eos, qui quandoquè choro astricti non sunt, inobedientesquè arbitrio nostro puniantur.

Pium institutum, singulis Dominicis diebus, festisquè Gloriosisſimæ Virginis, accedendi ad altare Beatæ Mariæ, pro cantanda Antiphona, post Vesperas, seruetur ab omnibus; & qui neglexerit, punctetur, tamquàm si Vesperis non adfuisset.

Nobis celebrantibus, aliauè Pontificalia exercentibus, tàm in Cathedrali, quam in alia Ecclesia asſistant, neque visitationi, tàm à nobis, quàm à Vicario nostro faciendæ, qui nominati fuerint,

adesse

adesse omittant, quo casu distributiones, ac si in choro adessent, lucrentur, vt Tridentino etiam Concilio sancitum est.

Habitus mutatio congruo tempore æquè per omnes fiat; vnusquisquè enim Cappam in Vigilia Omnium Sanctorum, ad Vesperas; superpelliceum verò Sabbatho Sancto, ad Gloriam in Excelsis, assumere debet.

Prohibemus, ne quis è Capitulo (ijs tantum exceptis, qui Monasterijs, auctoritate nostra præsunt) alienis quibuscumque Ecclesijs directè, vel indirectè inseruiat, Missamuè conductus celebret, nisi cum festum aliquod, funus, aut anniuersarium celebratur; neuè quis è Canonicis aliquem dictæ Ecclesię Capellanum ad aliam Ecclesiam mittere, sub quouis prætextu, audeat, nisi vrgente necessitate, nobis, seu Vicario nostro significanda; quod si quis alienæ Ecclesiæ inseruierit, distributiones, si distributionum sit particeps, si verò sit prębendatus, fructus, pro rata temporis, ipso facto amittat.

Dominicis diebus, aqua benedicta Clerum, & populum non Diaconus, vt antea factum est, sed Canonicus ipse Hebdomadarius, pluuiali, pro tempore congruenti; indutus, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, aspergat, iuxtà Rubricarum Missalis noui præscriptum.

Punctatoris officium per singulos sacristas, alternis annis exerceatur, & eorum quilibet initio anni cuiuslibet in nostris, seu Vicarij nostri manibus iuret, se diligenter, & fideliter munus suum exequuturum; debeatquè vniuscuiusque mensis initio, librum Vicario nostro exhibere, cui etiam, vt diligentius huiusmodi officium exerceatur, duorum scutorum quot annis ex eisdem punctaturis mercedem assignamus.

Nulla inter Canonicos distributionum remissio fiat, & punctaturæ per eos omninò soluantur, intrà mensem à die, quo per Camerarios Sacristiæ illarum summa collecta fuerit, quo mense elapso, qui in solutione defecerit, eo ipso à distributionibus suspensus tamdiu existat, donec, re ipsa, quod debet, persoluerit, quo circa ne quisquam ignorantiam prætendere possit, Sacristiæ Camerarijs in virtute sanctæ obedientiæ pręcipimus, vt opportuno tempore, absque vlla mora, in Capitulo debitam vniuscuiusq; summam denuncient; Quod non solum in futuris, sed etiam in pręteritis punctaturis locum habere volumus, Recernentes, quòd qui distributiones non habent, ingressu Ecclesię prædictæ, eo termino elapso, interdicti sint; & nihilominus ad solutionem debitis iuris, & facti remedijs compellantur.

Ne sacerdotes celebraturi à Canonicis, neuè ipsi Canonici ab alijs pertur-

perturbentur, monemus eosdem Canonicos, ne Capitulum post hac fiat in Sacristia, sed in loco ad id designato, propè Chorum; ibiquè Canonici modestè, & absquè vllo strepitu interueniant, quod si quis facto, aut etiam dicto proruperit, grauitèr, pro cul pæ modo, plectatur.

Canonici, qui publicis processionibus, videlicet, in solemnitate Corporis Christi, & quæ celebratur infra Octauam, in Ecclesia Sancti Benedicti, in Rogationibus, in Assumptione Beatæ Marię; in Vigilia Beati Guidonis; in festiuitate Sancti Michaelis Arcangeli, Sancti Marci, Sancti Antonij, Beatæ Margaritę; in ea, quę fit ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Nouæ, in miraculorum Anniuersario, nec non in alijs quibuscumquè ex aliqua causa publico Edicto indictę fuerint, cum præscripto habitu non interuenerint, eos, præter pœnas in publicis edictis proponi solitas, frumenti etiàm sextario, sacristię applicando, eo ipso priuatos esse volumus; mandantes Punctatori, pro tempore existenti, vt eos, qui defecerint, diligenter notet, atque in libro describat.

Sacristæ eiusdem Ecclesiæ diligenter curent, vt ornamenta, & paramenta, tam pro sacerdotibus, quàm pro altaribus induendis, nęquè lacera, nequè sordida, potissimum autem, vt corporalia, & purificatoria nitida sint, & colorum varietas omninò, pro tempore, seruetur.

Cotta indutus eorum alter, dum diuina celebrantur officia, assiduè in Sacristia, vel in Choro intersit, prouideatquè, vt & Missę, & diuina officia celebrentur hora competenti, ordineq; seruato; quem à nemine perturbari, patiatur.

Sacerdotum nomina, qui in Missis celebrandis defecerint, describat; nobisquè mense quolibet deferat, vt pœnas superius statutas, prout iuris fuerit, exequamur.

In ijs, quæ ad curam pertinent, propter eius amplitudinem, ambo semper inuigilent; sciantquè se, minimæ etiam negligentię, & Deo, & nobis rationem esse reddituros.

Cum verò Canonici semper grauitatem præseferre debeant, statuimus, Vt, qui posthàc in choro interfuerint, Canonicali habita induti sint, ita vt ab alijs cognoscantur, tam festiuis, quàm ferialibus diebus, aliàs mulctentur, ac si non adessent.

Oblationes quæcumquè factæ fuerint in Ecclesia Cathedrali, non Canonicis, & Capitulo, sed sacristiæ, in ipsum Ecclesiæ ornatum erogandæ applicentur; quod si Canonici id minimè seruauerint, duplum Sacristiæ reddere teneantur.

Cum paruę pœnæ contemptu, Canonici non ità frequentèr in choro interueniãt, & ob eorum absentiam, Ecclesiâ debito seruitio aliquan-

aliquando fraudetur; ſtatuimus, vt punctatoræ, quæ exiguæ quidem ſunt, poſthàc per Canonicos ſoluantur, iuxtà formam à nobis opportuniori tempore præſcribendam.

Et cùm Canonici ſupranumerarij, pro Eccleſię ornamento, & diuini cultus augumento, eligantur; eos iniuncto ſibi oneri ſatiſfacere cupientes, decernimus, eiſdemquè in virtute ſanctę obedientiæ, & ſub pœna, pro modo culpæ infligenda, mandamus, vt ſolemnibus ſaltem diebus, Paſchalibus, Pentecoſtes, Natiuitatis D. Noſtri Ieſu Chriſti, ſolemnitatis Sanctiſsimi Corporis Chriſti, Aſſumptionis Glorioſiſsimæ Virginis, celebritatis Omnium Sanctorum, & Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, nec non in diſtributione candelarum, & palmarum, ac Triduo Maioris Hebdomadæ in Eccleſia Cathedrali congruenti habitu induti omninò interueniant.

De Parochis.

CVM Parochi participes, & ſocij laborum, curæquè noſtrę, atquè in meſſe, nobis commiſſa, operarij ſint, elaborare vnà nobiſcum, & contendere debent, vt populum, cuius curam gerimus, tamquàm purum triticum, in cœleſtia horrea, auxiliante diuina miſericordia, congregemus: ſciantquè proptèrea ad ſe potiſsimum pertinere, in Eccleſia ſibi commiſſa, Dominicis, alijsquè præcipuè feſtis diebus, Miſſę ſacrificium celebrare, ſacramentorum adminiſtratione, ac verbi Dei prædicatione populum paſcere, doctrinæ Chriſtianæ rudimenta docere, publicam ſæpè orationem, ac proceſsiones varias cum populo ſuo obire; pacem conciliare, controuerſias componere; miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, aliaquè munera ſtudioſè agere, quæ cum parochialis officij ratione coniuncta ſunt.

Hæc vt facilius effici poſsint, quicumquè parochialem Eccleſiam obtinet, in ipſa Eccleſia continuè per ſe ipſum reſideat (reſidere autem declaramus tantùmmodo eum, qui in ędibus parochialibus cibum, ſomnumquè capiendo habitauerit) alioquin, præter mortale peccatum, fructus ſuos non faciat, & alijs grauioribus pœnis, à Tridentino Concilio, & Pij Quinti conſtitutione inflictis ſubiaceat, eos verò, qui beneficium, perſonalem reſidentiam requirens, in poſterùm obtinebunt, de beneficio nolumus antea inueſtiri, quàm idoneum, arbitrio noſtro, cautionem præſtiterint, de continuè in ea Eccleſia reſidendo; quod ſi ea Eccleſia domo pro parochi habitatione careat, conducatur

domus

domus intra parochię fines, donec propè Ecclesiam construatur, si verò intra parochiæ fines non sit domus, que conduci valeat, extra parochiam, quàmproximè tamen Ecclesiæ potest, domum conducere liceat.

Et ad tollendam omnem occasionem non residendi, mandamus, ne quis curam animarum extra mœnia Ciuitatis exercens, munus aliquod, seù officium Missam celebrandi in Ciuitate suscipiat, susceptumuè in posterùm retineat, absquè nostra expressa licentia, sub pœna amissionis mercedis, quam occasione illius muneris lucratur, aliaque arbitratu nostro.

Cum verò Ecclesia ex eo iudicetur parochialis, quòd sua retineat sacramenta, in eaquè populus cibos spirituales accipiat, statuimus, vt singulis Ecclesijs, animarum curam habentibus, Tabernaculum pulchrum, auratum, seù saltèm pictum à quolibet parocho construatur, ibiquè assiduè sanctissimum Eucharistię sacramentum retineatur; ad cuius decreti exequutionem, Ecclesiarum Rectores, etiam per sequestrationem fructuum, quamprimum compellantur.

Parochi omnes populo, congruo tempore significent diem visitationis à nobis, seu Vicario nostro singulis annis, ad Tridentini Concilij præscriptum, faciendæ; Cuius quidem visitationis occasione prohibemus, nè quis superfluos sumptus faciat, sed tantummodo necessarios; qua in re caueant omnes, ne plura, quàm duo fercula præparent, sub excommunicationis, & alia arbitratu nostro pœna; liceatquè illi, cuius domi accubuerimus, impensæ ratam exigere à quolibet visitato.

Cum parochijs saltèm diebus celebrare debeant, quibus populus Missam tenetur audire, nullus posthàc sit, qui Dominicis, alijsquè festis diebus, Missam in propria Ecclesia celebrare omittat; abususquè celebrandi alternis diebus Dominicis omninò tollatur; ac dimidia cura ne nominetur quidem; qui sic dimidia officia præstiterit, dimidia etiam fructuum parte priuetur, & crescente contumacia, grauiori etiam pœna afficiatur; festos quoque dies denunciet vnusquisque, atque ieiunia, ex præcepto seruanda indicat.

Ne parochi à suis Ecclesijs abstrahantur, statuimus, ne qua in Ecclesia, ijs diebus, quibus ex præcepto Ecclesię populus tenetur audire Missam, festa votiua celebrentur, sed illa transferantur, Titularia verò eodem die celebrari liceat; ita tamen, vt parochi eiusdem Pleberij tantùm, non alij conuenire debeant. Contrafacientes acritèr, arbitrio nostro, mulctentur.

Ad festa quęcumquè, & funera conuenientes, Cottam semper, &

quauis in Ecclesia habeant, alioquin ipsis nulla eleemosyna, ac si non adessent, praebeatur, & Parochi, quorum in Ecclesiis huiusmodi negligentia reperta fuerit, grauiori poenę subiaceant; hęc verò plebanorum cura sit, vt ab omnibus quamdiligentissimè seruetur.

Caueant autem omnes, ne quid, siuè in Ecclesia, siuè dum mensę accumbunt, dicatur, aut fiat, quod scandalo circumstantibus esse posit; alioquin pęna suspensionis à diuinis, arbitrio nostro plectantur.

Parochi omnes singulis Dominicis diebus, antequàm Missam inchoent; aquam sale aspersam benedicendo innouent, eaq;, vt moris est, populum aspergant.

Cum oues sibi creditę, cognoscendae ab eis, & appellandae nominatim sint, animarum numerum, eorum, qui baptizantur, & confirmantur, eorumq; compatrum; nec non matrimonia contrahentium, & ex hac vita migrantium nomina diligenter in libro describant; negligentesq; in visitatione reperti, acriter puniantur.

Sacerdos, cui celebranti offertur, sese paululum ab altari remoueat, non tamen per Ecclesiam vagetur; quidquid autem in parochiali Ecclesia offertur, totum ad ipsum parochum spectet; neq; caeram; in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, tumulis oblatam, atquè accensam, inde amouere, domumq; referre quis praesumat; quibuscumq; in contrarium non obstantibus, neq; pacta valeant de diuidendis oblationibus inter Parochum, & Confraternitatum praefectos, inita: quinimò ita paciscentes nostrae subiaceant vltioni.

Parochi, & alij quicumq;, etiam Canonici, seu in dignitate constituti, qui posthàc ad celebrandas solemnitates sanctissimi Corporis Christi, Sancti Antonij Beatae Margaritae, nec non ad alias quascumq; functiones, quibuscumq; in Ecclesijs euocabuntur, muneri suo satisfacere non intelligantur, nisi & Vesperis, & processionibus, & toti officio interuenerint, & propterea praecipimus ijs, quorum erit cura, vt deficientes notent, quò eis eleemosyna pro modo negligentiae minuatur.

In quacumq; parochiali Ecclesia pia consuetudo pulsandi campanam, seruetur, pro signo fideli populo dari solito ad Aue Maria, expectata prius campana Ecclesiae Cathedralis; cuius sonum Sabbatho sancto expectari, omninò mandamus, etiam à Regularibus, vt sacrae Regularium Congregationis decreto sancitum est, salutare etiam institutum exequantur omnes in signo dando pro defunctis, cōsequuturi Indulgentiam à Gregorio xiij.

Summmo Pont. concessam; quo verò tempore pulsatur campana, pro Aue Maria, omnes genuflectant.

Memoria teneant, curam animarum habentes, onus sibi impositum, humeris, etiam Angelicis, formidandum, quamobrem assiduè orent, inuigilent, atq; studeant, & lectionem ne omittant sacri Concilij Tridentini, Cathechismi Romani, Summæ Armillæ, seù consimilis, necnon præsentis synodi decretorum, sciturі, quòd si predictos libros pènes singulos in visitatione non reperimus, arbitratu nostro, eorum negligentiam corripiemus; quò verò fraudibus occurratur, mandamus, vt in librorum initio nomen, & cognomen possidentis inscribatur.

Parochialium Ecclesiarum indemnitati, animarumq; saluti consulere cupientes, parochos omnes monemus, vt summam adhibeant diligentiam in decimis exigendis, ne ipsis negligentibus, & Ecclesiarum iuribus detrahatur, & fidelium animæ in maximo discrimine versentur, Hortentur itaq; fideles omnes, vt decimas, (quas quidem iure diuino debitas esse, omnes sciant) integras soluant, maximum indè premium consequuturi cum ex decimarum solutione consequantur fructuum vbertatem, corporis sanitatem, remissionem peccatorum, & acquisitionem regni cœlorum.

Atq; vt litibus, & controuersijs occurramus, quę persæpè oriri solent, ob incertos parochiarum limites, atq; fines, propterea decreto Tridentini Concilij satisfacere cupientes, præcipimus omnibus, & singulis Diœcesis nostræ parochis, vt intra mensem, distinctos cuiusq; parochiæ fines scripto ad nos deferant, quò certi fines in Archiuio nostro seruentur, incerti verò, ac dubij, etiam per locorum inspectionem, à nobis declarentur, ac declarati, vnà cum alijs diligenter custodiantur, qui verò in dicta notula deferenda negligens fuerit, duorum aureorum pœna mulctetur.

Statuimus insuper, vt parochis, pro decimis exigendis, actio in solidum contra colonos competat, ijs tamen decimas per triennium neglectas petere, seù quouis modo exigere minimè liceat.

Quibus in parochijs Confraternitates Sanctissimi Corporis Christi habentur, curent parochi, vt confratres, pro associando sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ad infirmos deferendum, in classes diuidantur, certa etiam proposita pœna proprio muneri satisfacere negligentibus.

Cum vnusquisq; parochus eo in loco habitare debeat, vbi iniuncto sibi muneri satisfacere die, nocteq; possit, statuimus, ne quis curam habens animarum, qui extra mœnia residere teneatur, cu-

ram

iam intra mœnia retineat, sed decretum aliàs quò ad parochialem Santi Vincentij in suburbijs à nobis in visitatione promulgatum, inuiolabiliter seruetur; cuius Ecclesiæ cura in Ciuitate existens, à Cathedralis nostræ Sacristis exerceatur, & eidem Cathedrali perpetuò vnita esse intelligatur; qui econtra, in Ciuitate residentes, in curis foraneis sese minimè ingerant, atq; alijs huiusmodi curis consimili remedio consulatur.

Imperitiæ, seù potius incontinentię aliquorum mederi volentes, sacrorum canonum vestigia imitantes, declaramus, peccatum mortale incurrere, & Quadragesimam frangere eos omnes, qui à media nocte Ferię quartę, quæ lucescit in Feria quarta Cinerum, citrà, carnes, seu alios cibos Quadragesimali tempore vetitos comedunt, mandamus propterea parochis, vt singulis annis, Dominica, dictam feriam præcedenti, de hoc populum pręmonere non omittant.

De vita, & honestate Clericorum.

Clericorum status, qui ex eo dicti sunt, quòd in sortem Domini sint vocati, is esse debet, vt, si morum grauitate, vitæq; exemplo suam ipsi dignitatem retineant, magnam afferant vtilitatem, auctoritatemq; ad piè, & Christiano more viuendum; cum contrà, si aliqua in re, etiam minima, offenderint, eorum ordo grauiter lædatur, eorumq; exemplo, laici inhonestam vitam agant, quamobrem de clericalis vitæ disciplina hęc statuenda esse existimauimus.

Clerici quicumq; habitu, & tonsura posthàc incedant, videlicet. Canonici, & in dignitate constituti, àc parochi omnes in Ciuitate vestibus talaribus induti sint, aliàs trium aureorum pœnam pro qualibet vice incurrant, Rurales autem clerici, & qui in itinere fuerint, breuioribus vestibus vti permittuntur, dummodo à clericali honestate non recedant.

Qui simplicia beneficia obtinent, vel sacris ordinibus initiati sunt, clericalem habitum gestare non omittant, sub duorum aureorum pœna, quàm incurrant etiam, qui camisias ad collum, sed ad manus rugosas, & crispas, nec non qui anulum quemcumq; gestauerint; quibus, vel propter officij munus, vel honoris gradum eo vti non liceat; illum verò omnes, cuiuscumq; dignitatis extiterint, omninò deponant, dum Missę sacrificium peragunt.

Nullus cuiuscumq; gradus clericus existat, laruatus incedere, siuè

proprium habitum cuiquam accommodare pręsumat, sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, & alia, arbitrio nostro declaranda; quam laicos etiam, qui religioso habitu, seù ad illius instar induti fuerint, ipso factò incurrere declaramus.

Nullus etiam cuiuscumq; generis arma, exceptis, cultellis, ad domesticæ vitę vsum, accommodatis, ferat, nisi itineris causa, extra Diœcesim, contrafacientes autem pœnas, Serenissimi Magni Ducis edictis inflictas, & alias arbitrio nostro declarandas, incurrant.

Clericalis ordinis hominibus interdicimus, ne fabulis, seu Comœdijs intersint, neuè aleis, tesseris, talisq; ludant, inobedientes acritèr arbitrio nostro mulctentur.

Cum clerici non corporum, sed animarum medici esse debeant, prohibemus, ne quis medendi artem, quouis modo exerceat, aliàs excommunicationis, & aliam pœnam incurrat.

Clerici sæcularibus negocijs, sese minimè implicent, & in laicorum conuersatione ita se gerant, vt ex nimia familiaritate, & consuetudine non oriatur eorum dignitatis, gradusuè contemptus, ab officinis autem prorsus abstineant.

Et quoniam non solum malum cauere; sed etiam omnem mali suspitionem fugere oportet, nullus in posterùm fœminas illas, quę suspitionem non effugiunt, in propria domo, seu alio in loco retinere audeat, vel cum eis familiaritatem, aut consuetudinem habeat, aliàs grauissimis pœnis afficiatur.

Caueant autem omnes, qui sacris ordinibus initiati sunt, aut aliquod Ecclesiasticum beneficium obtinent, ne diuinum officium singulis diebus recitare omittant, nisi ita grauiori morbo laborantes, vt se impediri sentiant, omittentes verò, præter mortale peccatum, & fructuum amissionem, si beneficiati fuerint, aliàs quoquè pœnas incurrant, vt decreto Lateranensis Concilij, & Pij Quinti constitutione sancitum est.

Synodalibus conuentibus quotannis, ex saluberrimo Tridentini Concilij decreto, celebrandis, ij omnes, qui adesse debent, per se ipsos, nisi legitimo impedimento detineantur, cum condecenti habitu, & bireto intersint, contumacesq; canonicis, & nostris subiaceant vltionibus, atq; Synodo absoluta, sanctisq; acclamationibus, de more factis, sacerdotes omnes, & clerici surgentes, osculum pacis à nobis accipiant, sibiq; inuicem dent, cum timore Dei, pariter & amore, quodq; sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsa præstent, vt coniunctissimis animis, concordiq; voluntate, quęcumq; sancita sunt, sollicitè exequantur.

Qui

Qui beneficium ecclesiasticum, per quamcumq; resignationem à Sede Apostolica impetrauerit, intra sex menses, à die datæ ipsius gratiæ, resignationis, & prouisionis formam, in Cathedrali, & ipsius beneficij Ecclesia publicare non omittat, iuxtà formulam grauissimę constitutionis fęl. rec. Gregorij xiij. sub pœnis in eadem constitutione comprehensis.

Multi sunt, qui Clerum nostrum cum R. Camera Apostolica super spolijs componere vehementer optarunt, taxam verò sibi præfixam, aut numquam, aut tardius soluere intendunt, quare ne gratia, vix impetrata, ob non solutionem statis temporibus faciendam, amittatur, atq; expiret; mandamus omnibus, & singulis in dicta compositione comprehensis, vt taxam cuilibet contingentem, quolibet anno, per totam Octauam Paschatis persoluisse debeant, sub pœna suspensionis à diuinis, & alijs in eadem compositione expressis.

Inhibemus, ne, vbi neces, & cruciamenta improbis hominibus, Magistratuum iudicio illata, multitudini spectanda proponuntur, vllo modo Ecclesiastici ordinis viri intersint, nisi eorum pia opera, consolandiq; officium vsui futurum sit illis, qui ad supplicium ducuntur.

Clerici quicumq; Canonicis inferiores, aliorum locum occupare ne præsumant, sed proprium, tàm in Ecclesia, quàm extra, vnusquisq; teneat; eum verò cuiusq; proprium declaramus, qui singulis suscepti ordinis, & prius in eo præstiti ministerij ratione contingit; nisi fortè qui posterius ordines susceperit, in Iure Pontificio, seu in sacra pagina Doctor extiterit; qui, sicut cęteros scientia præstat, ita etiam primum post Plebanos locum eum obtinere decernimus; quibus tamen Plebanis præferri volumus curatum, cuius in parochia quis decessit, vel tumulandus est.

Et cum non deceat eos, qui descripti sunt in militia clericali, cum laicis militare, statuimus, vt clericalis ordinis viri, pręsertim ij, qui sacris initiati sunt, posthàc processionibus, & funeribus cum clericis intersint, non autem cum laicorum Confraternitatibus, nisi à nobis, seu Vicario nostro facultate obtenta, sub arbitrij nostri pœna: quod si quandoq; rationabili de causa, pro ipsarum Confraternitatum vtilitate permitti contigerit, stola eis vti minimè liceat, cum id cum signum illis minimè conpetat.

Sacrorum canonum vestigijs inhærentes, quibus omnem auaritię speciem clericis prohibitam esse constat, interdicimus, ne clerici quicumq; prædia, seu terras à laicis locanda conducant, aut alijs sęcularibus negocijs sese immisceant; cum nemo militans Deo, debeat se implicare negocijs sęcularibus; omninò autem

caueant,

caueant, ne vſuras exerceant, & contrafacientes ſæuerisſimæ vltioni ſubiaceant.

Memores pręcepti iniuncti à Domino Moyſi, quod non eſſet ei detractor, neq; ſuſurro in populo, diſtrictè pręcipimus, vt clerici neq; in locis ſacris, neq; alibi alter alteri detrahant, quinimò tamquàm boni ęmulatores, fraternæ correctioni inſiſtant, & zelo ſalutis vnuſquiſq; fratrem ſuum à peccato releuare conetur; quod ſi ſecùs facere inuenti fuerint, pro modo culpæ grauitèr plectantur.

De funeribus, & exequijs.

Exequiarum morem, modeſtè, & deuotè ab Apoſtolis inductum, temporum iniuria deprauatum, ad priſtinam pietatis rationem, reuocare cupientes, clericis omnibus, necnon laicis etiam hęc ſtatuenda proponimus.

In Eccleſia, cuius in parochia tumulandus deceſsit, clerici, etiam regulares, & alij quicumq; ad funus euocati, condecenti habitu induti, conueniant, atq; indè bini, & ordine ſeruato, procedant; Cumq; domum defuncti peruenerint, pſalmi, aliæq; piæ pręces diſtinctè, ac deuotè ab omnibus recitentur, nulluſq; diſcedat, niſi toto officio expleto; qui ſecùs fecerit, oblatæ cerę, & eleemoſynæ quantitatem amittat, idemq; ſeruetur in Eccleſijs, etiam extrà Ciuitatem exiſtentibus, in quibus denuò monemus clericos, vt cum ſuperpelliceo ſemper interueniant his & alijs ſimilibus functionibus, aliàs nihil eis præſtetur.

Sicut pactiones, & importunas clericorum exactiones damnamus, ac prohibemus, graues ſumpturi pœnas de ijs, qui ſecùs fecerint; ita etiam laudabiles conſuetudines ſeruandas omninò eſſe declaramus; ita tamen, vt, ſi miſerabiles perſonæ moriantur, quibus, aut nihil ſuperſit, aut ita parum, vt ſua impenſa, ſicut quandoq; euenit, humari non poſsint, à parocho nihilominus, ſolo caritatis intuitu ſepeliantur.

Parochis, ſeu patrinis debitam ſibi cerę quantitatem præſtari declaramus, ex præſcripto Reuerendiſsimi D. Viſitatoris Apoſtolici, eorum verò ingluuiem, quos plus debito petijſſe inuenerimus, ſeuerisſimè corripiemus.

Nullus veſtes, indumenta, & ornamenta, cadaueri adhibita retineat; ſed ea gratis, & ſine aliqua mora ijs, ad quos pertinent, reſtituantur, niſi clericorum ſint; quorum ornamenta, & paramenta eius Eccleſiæ fiunt, in qua beneficiatus quis fuerit, vt ex conſti-

constitutione Pij Quinti sancitum est.

Curent parochi, vt nullus inter clericos in funere interueniat, qui non sit in sacris ordinibus constitutus, seu alicui Ecclesiæ verè inseruiat, & clericali habitu incedat; qui negligentes fuerint, arbitrio nostro puniantur.

Defunctorum hęredibus, vel alijs, ad quos spectat, liberè liceat eum numerum sæcularium, & regularium clericorum ad funus conuocare, quem ipsi maluerint, ita tamen, vt pro constituto numero clericorum ad parochum spectet conuocare, quos, ex debito suæ Ecclesiæ inuitare tenetur, neq; absq; parocho ad sepulturam cadauer offerre quis præsumat, aliàs grauitèr puniatur.

Parochos omnes iterum monemus, vt defunctorum suæ parochiæ nomina, diemq; singulorum obitus diligentèr notent, ac describant in libro, ad hunc vsum comparato; quod & in Ciuitate multo magis exequutioni mandari volumus, licet ab vnionis officialibus id efficiatur, cum ad ipsos parochos spectet, proprij muneris reddere rationem; qui intra mensem librum non fecerit, duorum aureorum pœnam incurrat.

Capitulum, post obitum nostrum, & successorum Episcoporum, officium vnum celebrare teneatur, pro anima nostra, & successorum, in quo singuli Canonici, & Capellani Ecclesiæ Cathedralis intersint, sacerdotes verò alij, singuli tres Missas Defunctorum celebrent, cum propria oratione Episcopi prædefuncti.

Statuimus insuper, vt Capitulum singulis annis, prima die post Commemorationem omnium Defunctorum, quę aliquo festo impedita non sit, sacrum anniuersarium cum eisdem Canonicis, & Capellanis celebrare omninò debeat, pro ipsius Capituli Canonicis prædefunctis.

De Episcopali nostro foro.

SI in omnibus causis, & à secularibus etiam Iudicibus, vt Cæsareis legibus constitutum est, breuitati consuli debet, id ab Ecclesiasticis potissimum præstari oportet, quare Vicarium nostrum monemus, vt lites in foro nostro vertentes, quanta poterit breuitate, iuxtà canonicas sanctiones, & Tridentini Concilij decreta, dirimere, terminareq; studeat, quam celerrimè autem alimentorum, mercedum, piorum locorum causas expediat.

Causas omnes à duobus scutis infrà, expediat summariè, & partibus

bus oretenus auditis, nisi aliter ipsi, ex rationabili causa visum fuerit, quam in actis exprimere teneatur.

Non attendat nullitates, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis, vel mandati, sed illis non obstantibus, ad causæ expeditionem procedat.

Statuimus, vt, si quandoq; contigerit, pronunciari, prout in cedula, vel haberi terminum, pro seruato, sententiæ cedulam subscribere, vel terminum, pro seruato, habitum, declarare intra decem dies omninò teneatur, alioquin sententiæ, & termini ipsi, pro circumductis habeantur, prout etiam Pij Quarti constitutione præscriptum est.

Scripturæ omnes in Archiuio semper retineantur, & Notarij singulo quoq; anno, Ianuarij mensis initio, nobis, seu Vicario nostro, pro tempore existenti teneantur præsentare omnia, & singula acta, per eos confecta, & rogata, vt in Archiuio, ordine præscripto, recondantur, ibiq; seruentur; qui verò negligens fuerit, ab officio remoueatur.

Atquè vt á foro nostro, quantum fieri potest, labes auaritię absit, mandamus, vt taxa præfixa, iuxtà Visitatoris Apostolici confirmationem, ad vnguem omninò seruetur.

Pœnę, ac mulctæ omnes cuiuscumq; generis, tàm a clericis quàm á laicis exactæ, piorum locorum, operumuè vsui attribuantur, atq; in eorum vtilitatem erogentur.

De Monialibus.

QVamuis ea, quæ á sanctis patribus, piè quidem, tradita, ac nuper á Reuerendissimo Domino Visitatore Apostolico salubriter Monialibus præscripta fuere, satis sint, ad earum Regulæ integritatem, puritatemq; seruandam, cum tamen multa, temporum iniuria, perijsse, multa etiam exequutioni mandata adhùc minimè fuisse inuenerimus, nonnulla hic innouare, operæprætium esse duximus: quorum inuiolabilem obseruantiam præcipimus, atq; mandamus.

Moniales omnes, quò facilius diabolicis tentationibus resistere posint, earumq; orationes acceptiores Deo sint, saltem singulo mense, peccata sua confiteantur, & sacram Eucharistiam sumant, vt & Tridentino Concilio præscriptam est; neque eo die, quo sacram Communionem sumpserint, cum aliquo colloquantur, nisi necessitate vrgente, á Monasterijs Præfecta approbanda.

Curent Abbatissæ quælibet, vt omnes Moniales, & in Oratorio, & in Refectorio in simul semper sint, & vt inde nulla discedat, nisi ex magna causa; Inobedientesq; acriter puniantur; sciantquè omnes, quod si negligentes fuerint, & Deo, & nobis reddituræ sunt rationem.

Moniales, & aliæ quæmcumq; sint, ad Monasterij ianuam neminem alloquantur, sub pœna excommunicationis, & ianua cuiuslibet monasterij ita semper clausa retineatur, vt à nulla, nisi ab illius Præfecta valeat aperiri; quæ eam numquam aperire præsumat, nisi cum quis, necessitatis causa, habita prius à nobis, seu Vicario nostro facultate, introire debet, seu aliquid introducere; alioquin præter excommunicationis pœnam; illam officio, & voto, tàm actiuo, quàm passiuo priuatam per quinquennium declaramus.

Neminem alloquantur, nisi habentem licentiam à nobis, seu Vicario nostro subscriptam, Contrafacientes pęnam excommunicationis inincurrant, atquè à velo, & cratibus per tres menses suspendantur.

Dotes, vel potius eleemosynæ puellarum non recipiantur, nisi facta professione, sciantq; contrafacientes, se anathematis vinculo subiacere, ex decreto eiusdem Concilij Tridentini, Indemnitati verò monasteriorum consulatur idoneæ cautionis oblatione, redigendæ in actis Curiæ nostræ.

Professio ab omnibus fiat post annum suscepti habitus, non tamen ante sextumdecimum annum completum, eaq; in libro notetur, neq; vocem in Capitulo habeant, quæ professionem non emiserunt.

Electio quæcumq; facienda sit, à duabus tertijs partibus Monialium comprobetur, neq; aliter facta valeat, sed nullius sit roboris, vel momenti, quacumq; consuetudine non obstante, neq; Abbatissa quæcumq; possit in posterum confirmari, sed transacto triennio, alia omninò eligi debeat, prout etiam fœl. recor. Greg. xiij. constitutione sancitum est.

Nulla puella in Capitulo proponatur, siuè pro habitu, debito tempore, assumendo; siue in educationem recipienda, quæ honestis parentibus orta non sit, decimum annum attingat; & quæ à nobis, seu Vicario nostro in scriptis approbata prius non fuerit; aliàs electio nulla sit, & Abbatissa eo ipso per sex menses sit ab officio suspensa, nec sorores germanæ plures duabus in eodem Monasterio admitti possint, acceptationis autem occasione Abbatissa nihil, etiam spontè oblatum accipere præsumat, sub pęna excommunicationis latæ sententiæ.

Puellæ quęcumq; assiduæ in Monasterio permaneant, & si semel egressæ fuerint, non recipiantur, nisi cum habitum assumpturæ sunt, sub pœna excommunicationis latę sententiæ, Sedi Apostolicę reseruatæ, tàm Abbatissę, & Ianitrici, quàm puellis, & Monialibus, quæ illarum curam gerunt, vt sacræ Congregationis decreto expressum est; nisi fortè infirmitatis causa inde exierint, declaramus tamen, posthàc ijs tantum infirmis puellis exeundi facultatem concedi, quæ cum mortis periculo ægrotent, nec Medicorum attestationes aliter admittantur.

Quæ Monasteria plures ianuas habent, eas omnes, tamquàm clausuræ non conuenientes, vnica tantum relicta, claudere murò quamprimum omninò debeant, sub pœna suspensionis à diuinis, & alia arbitratu nostro declaranda.

Fenestellulę in cratibus ne fiant, & quæ factæ sunt, intra mensem, ita ferro obstruantur, vt aperiri nullo vnquam tempore possint, vna tantum relicta, pro sanctissima ipsarum Monialium Communione; quæ verò Moniales negligentes fuerint, elapso mense, pœnam suspensionis à diuinis, ipso facto incurrant, & crates, vbi colloquendum sit, duplices ferreis cancellis efficiantur.

Cum verò nulli intra sæpta Monasterij, etiam sub prætextu facultatis à nobis obtentæ ingredi liceat, nisi aliqua necessitate vrgente; vt est Concilio Tridentino præscriptum, caueant Confessarij Monialium quicumq;, ne Monasteria ipsa ingrediantur, nisi pro sacramentis infirmis Monialibus ministrandis; quo casu id Cotta, & stola induti faciant, meminerintquè pœnam excommunicationis latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ reseruatæ à fœl. rec. Gregorij xiij. grauissima constitutione inflictam, nedum ipsis ingredientibus; sed etiam Monialibus, eos admittentibus, monemus etiam monasteriorum operarios, eorumq; factores, & famulos, ne etiam si facultatem à nobis impetrauerint, clausuram ingrediantur, nisi vrgentissima necessitate impulsi, cum & ipsi dictæ pœnæ subdantur.

Pro ornandis Monasteriorum Ecclesijs, siue cùm festum aliquod celebrandum est, siue cùm aliqua puella est habitum susceptura, laici ne admittantur, sed Confessores curent, vt id ab aliquo clerico modestè fiat, sub pœna excommunicationis, tam laicis, quam Monasterij Præfectę, id permittenti.

Animarum saluti prospicere cupientes, conuersarum nostrorum Monasteriorum, quæ, contrà Gregorij xiij. Summi Pontificis constitutionem, non solùm professionem, vt tenentur, non emiserunt; sed, quod peius est, à Monasteriorum sæptis assi-

duè

duè exire non verentur; mandamus, vt nulla posthàc ex conuersis prædictis, de Monasterijs egrediatur, sed sub perpetua clausura vnà cum alijs Monialibus omnes conuersæ prædictæ permanere debeant, Et insuper, dictæ constitutionis auctoritate decernimus, vt singulæ Conuersæ, intra mensem, professionem omninò emittant, profiteri verò recusantes, domum, demisso habitu, Monasteriorum Præfectæ remittant, nulla prorsus excusatione admissa.

In singulis Monasterijs liber habeatur; in quo Abbatissæ cuiuslibet electio, & confirmatio; puellarum itidem nomina, & cognomina, tempus etiam suscepti habitus, emissæq; professionis, Confessarij manu scribantur, quæ verò Abbatissæ negligentes in visitatione repertę fuerint, grauiter puniantur.

Moniales in ijs, quæ ad bonorum administrationem pertinent, nihil prorsus efficiant, absq; consilio, & assensu operariorum vniuscuiusq; Monasterij, iuxta decreta etiam Serenissimi Hetruriæ Magni Ducis, Quibus rationem datorum, & acceptorum frequenter reddere omninò debeant, ipsis tamen operarijs interdicimus, nè Monasterij bona, quouis modo conducere, vel sibimet acquirere valeant.

Monasteriorum indemnitati consulere intendentes, mandamus, vt causæ omnes sanctimonialium summariè, sine strepitu, & figura iudicij, & sola veritate inspecta, manu regia decidantur, ac terminentur, etiam singulis diebus, & horis, præter quàm feriatis in honorem Dei.

Cum Ecclesia non sit negociationis, sed orationis domus, caueant Moniales, ne ad crates in Ecclesia existentes, cum aliquo, præter superiorem, & Confessorem, colloquantur, curentq; illarum Præfectę, vt dictæ crates ostio, & claue asiduè clausę retineantur, vtq; numquam aperiantur, nisi pro Missa, alijsq; diuinis officijs audiendis; si secùs fecerint, grauiter puniantur.

Sub pęna excommunicationis prohibemus, ne Moniales vllo vnquam tempore, sub quouis prætextu, laicorum habitu induantur, neuè repręsentationes quascumq; nobis inconsultis faciant.

Eidem pœnæ subijcimus tàm Moniales pręstantes, quàm clericos sumentes cibum, seu potum in locis Monasterijs contiguis, siuè festiuitatis alicuius, siuè quauis alia occasione, decernentes, vt Cantoribus, quibus id præstari consueuerat, largiuscula eleemosyna tribuatur.

Monialium nulla munus aliquod, etiam minimum cuicumq; mittere audeat, absquè Abbatissæ licentia, cui quidem præcipimus, eius conscientiam onerantes, ne quid mitti sinat ijs, qui tertio

ſaltem gradu coniuncti non ſunt, nequè litteras Moniales cuicumquè mittant, ſeu ab alijs receptas legant, niſi prius illas Abbatiſſę exhibuerint, Contrafacientes verò excommunicationis pœna, & carceris etiam afficiatur.

In ſingulis Monaſterijs Diſcretæ ſaltem quatuor anno quolibet eligantur, quę & probitate, & prudentia cæteris monialibus antecellant; quarum conſilium, & conſenſum Abbatiſſę adhibere teneatur in omnibus, quæ in monaſterio tractanda ſunt; quod inuiolabiliter obſeruari mandamus.

Moniales neminem alloquantur, qui licentiam à Nobis, ſeu Vicario noſtro ſubſcriptam non habuerit; quo caſu id faciant in præſentia auſcultatricis, quàm ſemper adeſſe volumus; quę verò contra id fecerint, priuentur trium menſium facultate loquendi cum externis omnibus, etiam conſanguineis, & aliter pro modo culpæ mulctentur, feſtis autem diebus, quibus orationi illas nauare oportet, ſilentium omninò ſeruent, ſub eadem pœna.

Puellæ, quæ alimenti, & educationis cauſa, quot annis monaſterio debitam portionem non perſoluerint, domum remittantur, neq; in monaſterijs ipſis amplius recipiantur.

Monaſteriorum quieti, & monialium tranquillitati conſulere cupientes, ſancimus, ne alicui ex monialibus prærogatiua temporis vti liceat, neuè tempus prius ſuſcepti habitus ſuffragetur, quò ad puellas in monaſterio, etiam educationis cauſa, recipiendas; decernentes, puellarum acceptationis facultatem, non ex ſingularum monialium libito dependere, ſed earum Capitulò, nobis in primis id fieri permittentibus, competere; hac inſuper appoſita lege, vt in ſingulis monaſterijs, nouitiarum magiſtra quot annis eligatur, ſeu eadem confirmetur, quæ puellas omnes in timore, & cultu Dei, atq; in obſeruatione religionis, non minus vitę exemplo, quàm admonitionibus diligenter erudiat, illasq; ita in ſpiritualis, & ſanctæ vitæ ratione inſtruat, vt progredientes, Deo auctore, perfectę illius ancillę poſsint euadere.

Et cum in monaſterijs omnibus is monialium numerus conſtitui debeat, qui ex vniuſcuiuſquè monaſterij reditibus valeat commodè ſuſtentari, vt eſt Tridentini Concilij decreto, & Pij Quinti conſtitutione ſancitum, ac nuper ſacrę Regularium Congregationis literis innouatum; Propterea ſingulorum monaſteriorum redituum quantitate penſata, atq; re ipſa cum eorum operarijs mature conſiderata, cuilibet monaſterio numerum infraſcriptum monialium reſpectiuè conſtituimus, & taxamus, videl.

Mona-

Monasterio Sancti Michaelis Archangeli Moniales sexaginta, & Conuersas sex.

Monasterio Sancti Benedicti, nuncupato, delle Contesse, Moniales septuagintaquatuor, Conuersas decem.

Monasterio Sanctę Crucis Moniales quinquaginta, Conuersas sex.

Monasterio Sanctæ Mariæ Magdalenæ, nuncupato, delle Santuccie, Moniales quinquaginta, Conuersas sex.

Monasterio Sanctissimę Trinitatis Moniales quadragintaquatuor, Conuersas quinque.

Monasterio Sanctæ Claræ Moniales sexagintaquinque, Conuersas septem.

Monasterio Sancti Hieronymi, nuncupato, delle Pouerelle, Moniales quinquaginta, Conuersas quinque,

In quibus quidem Monasterijs statuimus, ne supra dictum numerum, vlla alia recipiatur, admittaturuè ad habitum, nisi aliquando vrgenti aliqua de causa, aliam admitti expresè mandauerimus.

De Examinatoribus.

CVM Tridentini Concilij decreto statutum sit, vt aliquot prudentes viri in Diœcesana synodo eligantur, quorum consilio, atquè opera Episcopi ministerium iuuari oportet, tùm pro parochialibus Ecclesijs dignioribus conferendis, tùm etiam pro clericis sacris initiandis, & sacerdotibus ad confessiones approbandis; propterea eidem Concilio satisfacere cupientes, hos examinatores eligimus, & deputamus, qui sunt infrascripti videlicet.

R. D. Euangelista Rodulphinus Archidiaconus, & Vicarius.

R. D. Io. Petrus de Romanis Præpositus, I. V. D.

R. D. Franciscus de Ghibertinis Canonicus, I. V. D.

R. D. Antoniusmaria Magius Canonicus.

D. Philippus de Finottis Præsbyter, & Grammaticus.

Ven. P. Marianus de Alpherijs Ord. Min. de Obseruantia Theologus.

De Iudicibus delegatis.

ET cum nonnulli etiam eligendi sint, quibus plerumq; causas à sede Apostolica delegari contingit, idcircò hos pręcipuos nominamus, qui sunt infrascripti, videlicet.

R. D. Vi-

R. D. Vicarius præsens, & pro tempore existens.
R. D Io. Petrus de Romanis Prepositus I V. D.
R. D. Franciscus de Ghibertinis Can. I. V. D.
R. D. Benedictus de Laparellis Can. I. V. D.

Acclamationes à synodali vniuerso Clero factæ, In fine synodi.

1 DEO Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, & gratiæ.

Resp. Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui conciliorum exercitationibus rectum iustitiæ tuæ tramitem, & disciplinæ regimen iugiter docere dignatus es, tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sęculum, & in æternum.

2 Beatissimo Sixto Papæ, & Domino nostro, sanctæ vniuersalis Ecclesię Pontifici, cunctarum gentium obedientia, & Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Res. Domine Deus sanctissimum Patrem gratia tua custodi, vt, eo gubernante, gentes, sancto veræ fidei lumine perfusæ, in vnum Ecclesię tuæ ouile colligantur.

3 Serenissimo Ferdinando Hetruriæ Magno Duci, Christianæ Religionis Decori, perpetua fœlicitas.

Resp. AEternę Deus Catholicum Principem nostrum in amore tuo conserua, vt cœlesti gratia tua auctus, omni tua benedctione perpetuò dilatetur.

4 Reuerendissimo Episcopo nostro, huius Diœcesanæ synodi Præsuli, vita, & salutaris vigilantia.

Resp. Omnipotens Deus super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuò multiplica.

5 Populo Cortonensi pax Christi æterna.

Resp. Memento Domine Deus, in beneplacito Populi tui, ac perpetuum illi tuæ benedictionis rorem infunde.

6 Nos Dei voluntatem explentes, & sancta decreta in omni opere bono exequentes, digni reddamur misericordia, & gratia magni, & supremi sacerdotis Iesu Chisti Dei, & intercedente simul beata eius genitrice Virgine Maria, Beato Vincentio, & omnibus Sanctis.

Resp. Amen, Amen, Amen.

F I N I S.

INDEX CAPITVM IN DIOECESANAE SYNODI CORTONENSIS.

FINIS.